

Quaestiones Theocriteae.

Dissertatio

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo philosophorum ordine

in academia regia Christiana-Albertina Kiliensi

impetrandos conscripsit

et una cum sententiis controversis

die II. mensis Martii a. MDCCCLXXXI. hora XII.

publice defendet

Otto Hempel,

Wittstochiensis Prignissus.

Adversariorum partes suscipient:

Robert Glombik, cand. phil.
Wilhelm Ehlers, cand. phil.
Benedict Rautert, cand. phil.

Kiliae.

Prostat apud Lipsium & Tischerum.

Ex officina C. F. Mohr (P. Peters).

1881.

Ἀστοῖσιν δ' οὔπω πᾶσιν ἁδεῖν δύναμαι.

Archilochus.

Imprimatur:
Dr. BACKHAUS,
h. t. Decan.

P. W. Forchhammero

L. M

I. De Theocriti vita.

I.

Schol. *Θεοκρ. γέν*: *Θεόκριτος, ὁ τῶν βουκολικῶν ποιητής, Συρακούσιος ἦν τὸ γένος.*

Suid. s. v. *Θεόκρ.* *ἔστι δὲ καὶ ἕτερος τοῦ Χίου Θεόκριτος .... Συρακούσιος· οἱ δέ φασι Κῷον, μετῴκησε δὲ ἐν Συρακούσαις.*

Theocritus, carminum bucolicorum poeta, Syracusanus erat; alius est Theocritus Chius, Theopompi historici in rebus publicis gerendis adversarius acerrimus, de quo vide quae habent Muelleri frgm. hist. gr. II. 86. Hanc de Theocriti patria sententiam confirmat epigramma, quod Callierges editor invenit inter Theocritea cum inscriptione *τοῦ αὐτοῦ* (i. e. Theocriti) *εἰς ἑαυτόν, ὅτι Θεόκριτος Συρακόσιος ἦν.*

Ἄλλος ὁ Χῖος· ἐγὼ ... δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδ' ἔγραψα,
εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμὶ Συρακοσίων.

Hoc epigramma carminum Theocriteorum collectioni, quae Alexandreae erat, praefixum fuisse infra comprobare studebo: quod si rectum est schol. *Θεοκρ. γέν.* et Suidae de Theocriti vita res principales certe suppeditavit.

Theocritum Syracusanum fuisse aliis causis confirmatur. Nam saepius in ipsius carminibus inveniuntur ea, quibus Syracusas patriam esse aperte demonstretur:

id. XI. 7: *οὕτω γοῦν ῥάϊστα διᾶγ' ὁ Κύκλωψ ὁ παρ' ἁμῖν*
ὡρχαῖος Πολύφαμος.

schol: *τὸ παρ' ἡμῖν ἐπὶ τῆς Σικελίας φέρει καθ' ὃ καὶ Συρακούσιός ἐστιν* (Theocritus).

id. XVI. 8: *αἱ δὲ (Χάριτες) σκυζόμεναι γυμνοῖς ποσὶν οἴκαδ᾽ ἴασιν,* i. e. ad Hieronem, quem celebrat carmen, Syracusas.
id. XXVIII. 17: *καὶ γάρ τοι πάτρις, ἂν ὤξ Ἐφύρας κτίσσέ ποτ᾽ Ἀρχίας,‖ νάσω Τρινακρίας μύελον, ἄνδρων δοκίμων πόλιν,* coll. vers. anteced. *οὐ γὰρ εἰς ἀκίδρας οὐδ᾽ εἰς ἀέργω κεν ἐβολλόμαν‖ ὄπασσαί σε δόμοις ἀμμετέρας ἔσσαν ἀπὺ χθόνος.* Praeterea veteres Theocritum semper Siculum vel Syracusanum, Coum quantum video nunquam (exceptis quae Suid. affert,) appellaverunt: cf. Serv. prooem. Verg. buc. p. 95. Lion: ».... intentio poetae haec est, ut imitetur Theocritum Syracusanum etc.« Athen. I. 5a. *ὁ Συρακόσιος ποιητής.* II. 49. f. VII. 284. a. XI. 475. e: *Θεόκριτος ὁ Συρακόσιος.* al. Atque cum Theocritus primus Siculorum cantum bucolicum antea rudem et ingratum artis legibus subiunxisset musasque incultas summopere celebrasset, recte Verg. ecl. 4.1. Sicelides Musas, ecl. 8.1. Syracusios versus. al., appellans Theocritum designavit. Eo nomine cantum bucolicum, quoniam teste schol. prolegg. II., Probo (prolegg. ad Verg. buc.), Diomede (de orat. III. p. 483. ed. Putzch) al., coll. Theocr. I. 19. VII. 71., Holm. Hist. Sic. antiqu. II. p. 311. carmina bucolica iam ante Theocriti aetatem in Libya, Asia, Arcadia, al. canebantur, mea quidem sententia certe non appellassent, nisi Theocritus ipse, summus bucolicorum poeta, Syracusanus fuisset.

Hanc veterum de Theocriti patria sententiam suam fecerunt ii viri docti, qui exeunte medio aevo maiore studio in Theocriti carmina inquisiverunt; testes nomino hos: »Theocriti Siracusii *εἰδύλλια* septem priora a Philetico in Latinum carmen traducta.« — »Theocriti Syracusani Idyllia triginta sex latino carmine reddita Helio Eobano Hesso interprete.« al.

Ea argumenta, quae adhuc protuli, omnia ea gravitate carere, ut potius cum Suidae nota *οἱ δέ φασι Κῶον,* de quo ipse quoque videtur dubitasse, faciamus, mihi non est persuasum. Rectam autem et ab omni parte firmam eius notae opinionem defenderunt inprimis Fritzschius [1]) et Ahrensius [2]): defendit Fritzschius etiam in

---

[1]) »De poetis Graecorum bucolicis«. D. J. Gissae 1844 p. 3 »Coum genere fuisse testatur Suidas«. p. 8: »novamque patriam Syracusas habuisse cognomina declarant« (?).

[2]) Philol. Gott. vol. VII. cf. p. 12. ad id. 1, 57: »Es ist nicht zu verwundern, wenn der Dichter hier und da Erinnerungen an die Localitäten seiner Geburtsinsel Cos hat einfliessen lassen.

editionibus [1]), quamquam Ameisius, Haulerus et Assmus[2]), ut alios omittam, contra iam disputaverant. Unde orta sit opinio Theocritum in insula Co natum esse infra videbimus.

II.

schol. *Θεοκρ. γέν. πατρὸς Σιμίχου, ὥς αὐτός φησι· Σιμιχίδα, πᾷ δὴ τὸ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις; ἔνιοι δὲ τὸ Σιμιχίδης ἐπώνυμον εἶναι λέγουσι· δοκεῖ γὰρ σιμὸς εἶναι τὴν πρόσοψιν, πατέρα δ'ἐσχηκέναι Πραξαγόραν καὶ μητέρα Φιλῖναν.*

schol. id. VII. 21: *φασὶ δὲ τὸν τοιοῦτον (Σιμιχίδαν) ἀπὸ πατρῳοῦ* [3]) *κληθῆναι Σιμίχου* [4]) *τοῦ Περικλέους τῶν Ὀρχομενίων, οἵτινες πολιτείας παρὰ Κῴοις τετυχήκασιν.*

Parentibus usus est Theocritus Praxagora et Philina [5]), quod testatur epigrammatis supra l. vs. 3:

υἱὸς Πραξαγόραο περικλειτῆς τε Φιλίνης.

Num Praxagoras idem sit atque medicus ille Cous, qui inter principes scholae dogmaticae, quae vocatur, nominatur [6]), non potest diiudicari: obstare inprimis videtur epigr. l. vs. 2, quo se humili loco, patrio certe genere, natum esse poetam dicere recte vidit

---

[1]) Theocrits Idyllen. Mit deutscher Erklärung von Ad. Th. H. Fritzsche. II. ed. Leipz. 1869. cf. p. 1. not. — Theocriti idyllia. commentariis critic. atque exeget. instr. Ad. Th. H. Fritzsche. ed. II. Lips. 1870. cf. argum. VII p. 197.

[2]) Ameis. in Jahn. annal. 1846. vol. 45 p. 197. Haulerus: de Theocr. vita et carm. D. J. Frib. 1855. cp. 1. Assmus: quaest. bucolic. spec. I. Berol. 1856. (extr.).

[3]) Emendavit Hauler. l. l. p. 6. pro *πατρίου, πατρωιοῦ*. cf. Meineke ed. Theocr. III. p. 251. et 475. Ahrens. ed. Theocr. vol. II. p. 516. Fritzsche ed. min. p. 2: n. 7, — ed. mai. ad VII. 27.

[4]) Qui nomen *Σιμιχίδας* in id. VII. Theocriti patronymicum esse existimabant, minime inde colligere poterant, patri idem nomen *Σιμιχίδας* fuisse. Quare potius *Σιμίχου* scripsi, accedente codicis l lectione *Σιμύχου*. Ahrens vol. II p. 454. seq. At ibid. p. 516. tuetur Ahrens lectionem *Σιμιχίδας* (»huius [Periclis] filium Simichidam Philinam uxorem duxisse«) laudat. schol. Pind. P. VI. 4: *εἴτις οὖν τὸν τοῦ Ἡρακλείδου υἱὸν πατρωνυμικῶς βούλοιτο σημῆναι, ὁμονύμως ἂν πάλιν πατρὸς Ἡρακλείδην καλοίη.* Sed Pericles erat nomen patris Simichi.

[5]) Utraque nominis forma et *Φιλίνη* (sive Dorice *Φιλίνα*) et *Φιλίννα* proba est; vid. Keil. Anall. p. 8. 244. Itaque secundum maiorem librorum auctoritatem praetuli hic *Φιλίναν* et infra in epigr. *Φιλίνης*. Ahrens vol. II p. 454 lin. 9.

[6]) Cf. Kurt Sprengel: Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneykunde ed. III. Hal. 1821. vol. I. p. 354. et 489.

Bergkius [1]), quod certe non scripsisset poeta, si medicus ille celeberrimus pater eius fuisset. Ex aetatis quidem ratione Praxagoras medicus, cum praeceptor nominetur Erasistrati, Niciae amici, qui ipse erat Theocriti amicus (cf. id. XI. XIII.), Theocriti pater fuisse potest. Philinam autem matrem ex Coensi gente clarissima ortam esse tota computatio nostra docebit: quod quidem iam eo comprobatur, quod in epigr. l. appellatur *περικλειτή*. Saepius autem Philini Coenses nominantur: inclaruerunt inprimis Philinus medicus, Herophili discipulus, scholae empiricae, quae vocatur, auctor [2]), qui Asclepiadis adnumerabatur, et victor ille celeberrimus, de quo Paus. 6.17.2. haec refert: *Φιλῖνον δὲ οἱ Κῷοι δόξης ἕνεκα ἀνέθεσαν· ἐν μέν γε Ὀλυμπίᾳ δρόμου γεγόνασιν αὐτῷ νῖκαι πέντε, τέσσαρες δὲ Πυθοῖ καὶ ἴσαι Νεμείων, ἐν δὲ Ἰσθμῷ μία ἐπὶ ταῖς δεκα.* Cf. praeterea Papii Onomast. s. v. *Φιλῖνος*. Praeterea ipse Theocritus id. VII. 105. 118., cuius res in insula Co gestas esse infra videbimus, appellat Philinum quendam Arati amicum, cuius nomen fictum esse censet Fritzsche (ad VII. 105.). Atque puero quidem delicato ab amandi verbo *φιλεῖν* nomen dari potuisse ficticium (Fritzsche. l. l.) probabile certe est; sed cum carmen VII. Theocritum Co iuvenum nobilissimis locis natorum consuetudine fruentem inducat et Philinorum nomen ipsum quoque inter celeberrima Coensium inveniatur, etiam huius Philini nomen rectum, non fictum mihi videtur esse. Alium Philinum (*τὸν χαρίεντα Φιλῖνον*) appellavit poeta id. II. 115., qui tecte designare videtur *τὸν ἱμερόεντα Φιλῖνον* idyllii VII.

Ex quibus haud audacius concludere mihi videor, floruisse Co Philinorum gentem Asclepiadis (cum Philinus medicus vocetur Asclepiades) adnumerandam. [3]) Hisce igitur Philinis Theocriti mater cog-

---

[1]) Cf. Hauler. l. l. p. 1. n. 3.

[2]) Introduct. inter Galen. opp. P. p. 372: *τῆς δὲ ἐμπειρικῆς προέστησεν Φιλῖνος Κῶος, ὁ πρῶτος αὐτὴν ἀπὸ τῆς λογικῆς αἱρέσεως ἀποτεμνόμενος, τὰς ἀφορμὰς λαβὼν παρὰ Ἡροφίλου, οὗ καὶ ἀκουστὴς ἐγένετο.* Sprengel l. l. p. 596.

[3]) Nomen *Φιλῖνος* usitatum fuisse etiam Athenis (Cf. inprimis C. J. A. I n. 59. 432 c. 433 al. Westermann: hist. eloqu. gr. § 54. 29. Muelleri frgm. hist. ad Philinum historicum) haud ignoro: sed reputandum est, in insula tam parva idem nomen saepissime inveniri, quo fit verisimillimum, homines sanguinis vinculo fuisse inter se coniunctos; praeterea autem commercium inter Con insulam et Athenas antiquitus permagnum intercessit, ut multos Coenses Lares Athenas transtulisse facile intellegatur.

nata videtur fuisse. Hanc coniecturam, quam non omni veritatis specie carere spero, alia argumenta optime commendant. Philetas enim Coensis, vir suae aetatis clarissimus, qui ipsum Ptolemaeum Philadelphum literis instruxit, et Asclepiades, poeta tum celeberrimus, Theocriti nominantur praeceptores: itaque mater, cum filio optimos eius aetatis praeberet educatores (pater erat mortuus), certe nobilissimo loco nata erat. Praeterea id. VII, quod Theocriti adolescentiae particulam describit, inducit poetam cum Phrasidamo et Antigene, qui ex stirpe regali nati erant, proavum enim habuerunt Chalconem, regem Coensem, Eurypyli et Clytiae filium, [1]) artissimo amicitiae vinculo coniunctum; hi fratres ipsi quoque Asclepiadis, quippe qui Thessalum Chalciopae, Chalconis sororis, et Herculis filium proavum haberent [2]), cognati erant; ex eadem igitur gente atque Theocritus orti erant: ea omnia coniecturam meam, Philinam matrem ex nobilissima illa gente natam esse, adiuvant. Accedit quod Nicias Milesius, Erasistrati medici amicus [3]), et Aratus, quem propter nonnullorum operum indolem viri docti recte medicis adnumerant, in insula Co, ut infra videbimus, Theocrito amicissimi erant. Eius quidem amicitiae origo haec sine dubio erat, quod ambo Co artis medicae studiosi ipsos Theocriti consanguineos, quippe qui arte medica maxime tum florerent, docentes audiverunt.

Atque Praxagoras quidem Theocriti pater Syracusis habitabat; si erat medicus celeberrimus ille Coensis, permigravit in Siciliam Syracusis habitaturus: in matrimonium duxit Philinam ex nobilissima gente Coensi ortam. Brevi autem postquam natus est Theocritus Syracusis Praxagoras pater mortuus est materque novum cum Simicho quodam matrimonium iniit teste schol., cuius verba huic capiti praemisi. Cf. Hauler. l. l. p. 6. seq. Erat hic Simichus filius Periclis Orchomenii, qui patria urbe a Thebanis anno 346. a. Chr. n. denuo

---

[1]) Schol. vet. ad. VII 5: *ἦν δὲ ἡ Κλυτία θυγάτηρ Μέροπος. γαμηθεῖσα δὲ Εὐρυπύλῳ τῷ βασιλεῖ τῶν Κῴων ἐγέννησε τὸν Χάλκωνα τὸν τὴν βασιλείαν τῶν Κῴων διαδεξάμενον.* Ceterum cf. de hac quaestione: B. G. Niebuhr: Histor. u. philol. Vorträge. tom. III. ed. M. Isler. Berl. 1851. p. 205. Preller.: Griech. Mythologie ed. III. E. Plew. Berl. 1875. p. 279. 439 not. 1.; de medicis Coens. p. 428.

[2]) Cf. Sprengel. l. l. p. 241. seqq.

[3]) Cf. *ὑπόθ.* Theocr. id. XI Sprengel. l. l. p. 570.

diruta[1]) una cum multis civibus in insulam Con emigravit ibique civitatem accepit[2]). Ex qua re recte concludere mihi videor, Philinam Co hoc novum matrimonium iniisse itaque post Praxagorae mariti mortem cum Theocrito puerulo in insulam patriam, ubi erant certe multi affines et consanguinei, commigrasse. Hoc negat v. d. Holm[3]): Mir scheint vielmehr, inquit, auch der Name Simichidas auf Sicilien hinzuweisen. Wenigstens kommt Simichos meines Wissens nur als sikilischer Name vor als der eines allerdings fabelhaften Tyrannen von Centoripa bei Porphyr. vit. Pyth. 21. Hiezu kommt noch, dass im 7. Idyll im Ganzen drei angenommene Namen vorkommen: Lycidas, Sicelidas, Simichidas. Ea quidem Holmius false statuit. Neque enim scholiasta, nisi fontes adfuissent optimi, ea quae supra adnotavi quaeque nullo modo grammaticum e vano haurientem vel inania et inepta hariolantem sapiunt, attulisset. Praeterea vox Simichos vel Simmichos, quam formam commendat vitrici origo Boeotica et libri partim tuentur (cf. Ahrens II. p. 516. seq.), cum *Σιμμίας* et sim. saepissime legantur[4]), Boeotiam, unde erat Theocriti vitricus, optime designat. Simichae quoque nomen, quae Archelaum Macedonum regem peperit[5]) neque quantum video Sicula erat, eodem Marte atque Holmius Simichum proferre possumus. Cui vero persuadebit haec Holmii ratiocinatio: de Simicho tyranno quodam fabulae narrant Siculae, ergo est alter Simichus, qui invenitur in literis graecis, et ipse Siculus! — Tria nomina ficta id. VII. continere Holmius porro scripsit: sed unde scit Simichidae nomen este fictum? immo schol. *πατρωνυμικῶς* eum appellatum esse recte dicit. Nam si revera Theocritus nomine ficto *καθὸ σιμὸς ἦν* sese appellare voluisset, sine dubio se vocasset *Σιμίας* vel *Σιμμίας* vel *Σιμίδας*. Nomine enim »Simichidas« semper se Coensis illius viri filium designasset. Praeterea autem Philetae, Arati, al. nomina recta afferuntur in hoc idyllio: nulla igitur

---

1) Cf. C. O. Mueller, Orchom. p. 121. seqq.

2) Quo spectant versus id. XVI. 104. seq.: *ὦ Ἐτεόκλειοι θύγατρες θεαί, ὦ Μινύειον ‖ Ὀρχομενὸν φιλέοισαι, ἀπεχθόμενόν ποτε Θήβαις.* cf. Hauler. l. l.

3) Holm: Geschichte Siciliens im Alterthum, Leipz. 1874 vol. II p. 495. Respublicae tum in ea insula (Agothocle dominante) valde perturbatae erant: eam ob causam Timaeus quoque, ut alios omittam, insulam reliquit.

4) Cf. Keil. Inscript. Boeot. p. 239. Pape: Onomast. al.

5) Cf. Aelian. V. H. 12. 43.

extat causa cur »Simichidas« quoque esse nomen fictum statuamus. — Commigravit igitur Theocritus puerulus una cum matre in insulam Con, matris patriam, ubi mater novum cum Simicho Orchomenio iniit matrimonium. In hac ipsa insula puer educatus et omnibus artibus et disciplinis, quas aetas illa doctissima poscebat, cum mater e nobilissima insulae gente orta esset, optime instructus est. Itaque mirum non est, quod hanc insulam, quae eius adolescentiam ingeniique incrementa inspexit, summopere coluit et quasi alteram patriam in idylliis saepius significavit. Cf. Ahrens. Philol. Gott. VII. p. 412. ad. I. 57. Quo referendus est certe vs. id. I. 57., ubi cum Ahrensio [1]) legendum esse censeo *πορθμῆι Καλυδνίῳ*: designavit enim poeta insulas *Καλυδνάς*, quae proxime aberant ab insula Co. Cf. Il. II. 677; e patria igitur (ut Con ita appellemus) poeta praeclarum illud poculum Daphnideque dignum allatum esse scripsit. [2]) Thestylidis quoque nomen (id. II.) eo libentius ex Sophronis mimis (schol. *ὑπόθ.* id. II. *τὴν δὲ Θεστυλίδα ὁ Θεόκριτος ἀπειροκάλως ἐκ τῶν Σώφρονος μετήνεγκε μίμων*) petiisse mihi videtur, quod ea vox *ὁμοιόφθογγος* est v. *Θεσσαλίς*, quo nomine appellabant Thessali et Coenses mulieres veneficas. [3]) Eandem ob causam, ut Ahrens. recte adnotavit,

---

[1]) Cf. Philol. Gott. l. l. In editione a. 1855. retinet lect. *Καλυδωνίῳ*, quod Meinek. accepit; coniecit praeterea *Καυλωνίῳ*, quod Fritzsch. Legebatur autem olim etiam *Καλυδνίῳ*, cf. schol. ad h. l: *γράφουσι δέ τινες καὶ Καλυδνίῳ.*

[2]) Quae contra disputaverunt edd. mihi non persuaserunt: nam quod Meineke (ed. III p. 187. seq.) revera *Καλυδώνιον πορθμόν* appellatum esse et (p. 470.) plurimum Aetolis ceterisque Jonii maris et Corinthiaci sinus accolis cum Siculis commercium fuisse docet, nil facit contra lectionem *Καλυδνίῳ* : nam ubicunque locorum natura similis erat *πορθμός* quoque inveniebatur (ut inter Con et Calydnas); deinde *πορθμεύς* hoc loco omnino est nauta, non portitor; tum etiam commercium inter Siciliam et Asiam minorem insulasque maris Aegaei ex Agathoclis temporibus, ut recte monet. Holm l. l., summum intercessit. Fritzschius praetulit Ahrensii coniecturam *Καυλωνίῳ*, quam ne hic quidem in textum recipere ausus est. Caulonia urbs certe propius aberat a Sicilia quam Cos vel Calydon, sed quo remotior poculi patria eo maius eius pretium erat. Itaque cum utraque lectio *Καλυδωνίῳ* et *Καλυδνίῳ* par valeat et Theocritus Con et regiones vicinas ita significare amet praefero *Καλυδνίῳ*.

[3]) Philetae Coi, Hermesianactis Colophonii atque Phanoclis rel. disp. em. ill. N. Bach. Hal. Sax. 1839 p. 74. 12. — Suid. s. v. *Θετταλὴ γυνή*. Nomen eo explicandum videtur, quod Thessalus, Herculis et Chalciopae Coensis filius, proavus erat Asclepiadarum sive hominum arcanorum peritorum.

Delphim Simaethae[1]) amatorem (id. II.) appellavit Myndium: nam Myndus Cariae oppidum proxime aberat ab insula Co (cf. Ameis. ad Theocr. p. 8.); latet fortasse sub eius nomine homo quidam Myndius, quem ipse cognovit. Idem dicendum est de Philino id. II., cum id nomen, ut supra scripsi, inter Coensia saepius inveniatur. Huc praeterea referendum est, quod id. IV. 23. *Στομάλιμνον* vocat, cum in insula Co teste Strabone *κώμη Στομαλίμνη* esset. Cf. Ahrens. l. l. Fritzsche ad h. l. Praeclarissime autem Con patriam alteram celebravit poeta idyllio VII.. quod in optimis numerandum est, et id. XVII. vs. 64. seqq., de quibus infra uberius nobis erit agendum.

Explicasse mihi videor, quomodo opinio orta esset, in insula Co Theocritum esse natum. Ipsum autem poetam Siciliam patriam esse saepius scripsisse supra vidimus: atque cum ii loci, quibus Con celebrat poeta, talia de hac insula non exhibeant, non video, cur potius cum nota illa, quam Suidas addidit, *οἱ δέ φασι Κῷον, μετῴκησε δὲ ἐν Συρακούσαις,* spretis testimoniis gravioribus, faciamus. Hanc sententiam optime illustrat epigr. XVII. (ap. Ahrens. VIII.) in Epicharmi Coensis statuam scriptum. Coenses enim Syracusis habitantes Theocrito, quem matris genere Coensem esse adolescentemque ibi vitam degisse sciverunt, quasi Coo illud epigramma in Epicharmi, Coi hominis tunc celeberrimi, honorem scribendum demandasse videntur.

III.

schol. *Θεοκρ. γέν. ἀκουστὴς δὲ γέγονε Φιλητᾶ καὶ Ἀσκληπιάδου ὧν μνημονεύει.*

Philetam Coum et Asclepiadem Samium Theocriti praeceptores fuisse interpretes veteres ex id. VII. 40. seq. recte concluserunt.

---

[1]) Hoc nomine veteres certum muliercularum genus designasse videntur: cf. Aristoph. Ach. 524: *πόρνην δὲ Σιμαίθαν ἰόντες Μεγαράδε ‖ νεανίαι κλέπτουσι μεθυσοκότταβοι* (Athen. XIII. 570. a) Ceterum non video cur viri docti tam vehementer de ea quaestione disputaverint, utrum sit Simaetha ex infima plebe oriunda necne (cf. Ameis. ad Theocr. p. 14. Jacobs. ad vs. 100. Ahrens l. l. p. 422. al.): omnino tenendum est, quaestum talium mulierum luxuriam vestium flagitare; pudoris quodam gradu Theocritus recte eam exornavit, quoniam femina sordibus oppleta omnino abhorret ab eius artis poetica eratione. Ad rectam explicationem proxime accessit I. P. E. Greverus: Kleine Beyträge zur Erklärung und Kritik der Idyllen Theocrits, Bremen 1830 ad II. 146.

Eo enim explicatur, cur poeta, quamquam vs. 37. se Musarum *κα-πυρὸν στόμα* et *ἀοιδὸν ἄριστον* appellari dixit, Phileta et Sicelida [1]) (scilic. praeceptoribus) se multo inferiorem esse modeste concedat Itaque hoc quoque patet, eos viros in arte poetica inprimis Theocriti fuisse praeceptores. Atque de Philetae quidem aetate docte egerunt Nic. Bach, Fr. Ritschl, Hauler, Köpke [2]) praeter ceteros. Bachius »eius aetatem cadere circa ol. CX. (= $^{340}/_{337}$. a. Chr. n.) ad CXX. ($^{300}/_{297}$. a. Chr. n.)« statuit. Ritschelius eum ol. $^{108}/_{109}$. ($^{348}/_{341}$. a. Chr. n.) natum esse vult, Koepkeius (R. Schulzei de Hermesianacte dissertatione nisus) Philetam inde ab ol. $^{108}/_{109}$. ($^{348}/_{341}$. a. Chr. n.) ad ol. 123. usque ($^{288}/_{85}$. a. Chr. n.) vixisse comprobare studet. Vides igitur hosce viros doctos de aetate Philetae ferme consentire: neque enim certi anni, cum tota aetas nimiis involuta sit tenebris, definiri et statui possunt. Haulerus autem Bachium »prorsus falsum« statuisse iudicans, Philetam ab anno fere 340. ad 270. a. Ch. n. vixisse et circa annum 295. a. Chr. n. maxime floruisse et tum temporis magistrum Ptolemaei Philadelphi fuisse comprobare studuit. Sed argumenta, quae protulit, mihi non persuaserunt. Nam quod scripsit Philadelphum Philetae disciplina nisi in primis literarum rudimentis uti non potuisse si praeceptor a. 300. a. Chr. n. iam decessisset rectum certe est: at Bachio circa ol. 120. ($^{300}/_{297}$. a. Chr. n.) Philetam mortuum esse probabile visum est; non certum annum definire voluit. Quae praeterea de Theocriti aetate addidit Hauler., nisi circulo vitioso uti volumus, reicienda sunt, quia Theocriti aetas ipsius Philetae praeter ceterorum aetate artius circumscribenda est. Tertiam causam petiit Hauler. ab aetate Arati: hunc enim Philetae (biogr. testibus) aequalem Antigono Gonata rege (ab a. 278. vel 276. ad 240. a. Chr. n.) floruisse; inde probabile sequi, Philetam ad 270. a. Chr. n. vixisse et circa a. 295. a. Chr. n. maxime floruisse. — Hanc rationem equidem laudare non possum. Cavendum enim inprimis est, ne scholiastarum verbis *συνή-κμαζε*, *ἰσόχρονος* et sim. nimium pondus tribuamus: designant semper aequalitatem latius patentem, ita ut adolescentuli haud raro senum aetate longe provectorum aequales appellentur. Quod igitur Phile-

[1]) De huius cognominis orig. cf. schol. VII. 40.

[2]) Cf. Philetae Coi ct. rel. ed. N. Bach. p. 6. Fr. Ritschl.: Die alex. Biblioth Breslau 1838. append. I. cf. opusc. vol. I. Hauler. l. l. p. 8. Köpke: De Arati Solensis aetate. progr. Guben 1867. p. 20.

tam Arati aequalem appellatum invenimus designat tantummodo Philetam post Arati annum natalem diem ultimum obiisse. Hanc sententiam confirmat Suidas s. v. *Φιλητᾶς .... ὢν ἐπί τε Φιλίππου καὶ Ἀλεξάνδρου*, qui igitur Philetam Philippo et Alexandro Macedonum regibus sive saeculo fere ante Antigonum Gonatam vixisse statuit. Vixisse igitur videtur Philetas ab ol. 109. ad 123. usque, ita enim optime virorum doctorum opiniones consociantur.

Praeter Ptolemaei Philadelphi, Zenodoti Ephesii, Hermesianactis Colophonii Philetas Theocriti nominatur praeceptor recteque Bachius l. l. p. 6. coniecit, poetam celeberrimum tunc Co scholam publicam habuisse; Co igitur Theocritus *Φιλητᾶ ἀκουστὴς ἐγένετο.* Disputaverunt autem viri docti de ea quaestione, utrum Alexandreae an Co Philetas Theocriti fuisset praeceptor. Atque Fritzschius quidem (de poet. gr. buc. p. 4.) Alexandreae, Haulerus l. l. p. 8. in ipsa insula Co id factum esse vult. Reicienda certe est Fritzschii opinio, cum nullo scriptorum loco comprobari possit, Philetam Alexandream commigrasse. Weberus quidem [1]) id copiose contendit, at omnio quae protulit e vano hausit. Contra argumenta afferri possunt, quibus Philetam etiam senem Co vixisse comprobetur. Nam id. VII., cuius res certe Co actae sunt, vs. 40. Philetam Coensem ita inducit Theocritus, ut poetam celeberrimum in ea ipsa insula Theocritum erudivisse statuendum sit. Praeterea inspiciendus est hic Plutarchi locus (An seni gerenda sit resp. cp. 15. p. 791. E.): *ὥσπερ οὖν ὁ Πρόδικον τὸν σοφιστὴν ἢ Φιλητᾶν τὸν ποιητὴν ἀξιῶν πολιτεύεσθαι κτλ.*, ex quo elucet, Philetam senem rei publicae Coensis gubernacula tenuisse. Ne hoc quidem, quod Philetas Ptolemaei Philadelphi praeceptor nominatur, nos eo perducere debet, ut poetam Alexandream commigrasse statuamus: nam cum Philadelphus quoque in insula Co natus neque patris imperium ex omni parte tunc iam firmum et corroboratum esset, Philetas Ptolemaeum puerulum ipsa Co certe educavit literisque instruxit.

Denotat autem vox *ἀκουστής* Philetam Theocriti in studiis doctis, non in literarum rudimentis fuisse praeceptorem recteque inde concluditur, poetam celeberrimum Theocritum adolescentulum ad

---

[1]) »Seine (Philetae) Gelehrsamkeit bewog auch Ptolemaeus den Lagiden .... ihn seinen Kindern .... zum Lehrer zu geben; seit welcher Zeit er seinen Wohnsitz in Alexandria nahm«. Poet. eleg. interpr. p. 660. cf. Bach. l. l. p. 7.

carmina componenda excitasse. Quod ni fallor Philetae carminum fragmenta quamquam perpauca et exilia sunt, comprobant; inspicias id. IV. 43. seqq. coll. Phil. frg. 11. Schneidew. id. XI. 1. 17. XIV. 52. coll. Phil. frg. 1., id. XVI. 52. coll. Phil. frg. 4., id. XVII. 76. 104. seqq. coll. Phil. frg. 12: quamquam haud nescio, talibus locis aliquod certum constitui omnino non posse.

Alter Theocriti praeceptor nominatur Asclepiades *ἐπιγραμματοποιός, ἐπιγραμματοφόρος, ἐπιγραμματογράφος,* quem Haulerus l. l. p. 10. refutata Wuestemanni sententia, Asclepiadem iuniorem multo fuisse quam Philetam et aequalem fere Theocrito, Jacobsii computatione nisus »in idem fere tempus incidere cum Phileta« recte statuit. Asclepiadem Samium et filium Sicelidae fuisse docet id. VII. 40. coll. schol... *καὶ νῦν Σικελίδαν ὀνομάζει τὸν Ἀσκληπιάδην τὸν Σάμιον ὡς υἱὸν Σικελίδα,* quo nomine etiam a Meleagro (Anth. Palat. IV. 1. 46.) et Hedylo (Athen. XI. p. 473. b.) eum appellatum invenimus. Hunc poetam et ipsum Co tunc habitasse et floruisse indicare mihi videtur v. l. *οὔτε τὸν ἐσθλόν* ‖ *Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω* scilic. qui Samo huc se contulit, quoniam non dicit poeta *τὸν Σάμιον* aut *τὸν ἐν Σάμῳ.*

IV.

schol. *Θεοκρ. γέν. ἤκμασε δὲ κατὰ τὸν Πτολεμαῖον τὸν ἐπικληθέντα Λαγωόν* (sic Ziegler. ed. cod. Ambr. 222. schol. in Theocr. Tub. 1867. p. 1.). [1]

schol. cod. Med. 37. *ἐγένετο δὲ ἐπὶ τῶν χρόνων Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου.*

schol. *ὑπόθ.* IV. *ὁ Θεόκριτος δέ, ὥσπερ ἐδείξαμεν, κατὰ τὴν ρκδόλυμπιάδα ἤκμαζεν.* om. cod. Med. 37.

schol. cod. Ambr. 222. *ὑπόθ.* XVII. *ἁμαρτάνει δὲ Μουνατΐος τοὺς χρόνους τοῦ Θεοκρίτου ἀναβιβάζων εἰς Φιλοπάτορα.* (Ziegler.) (Ahrens. e cod. Gen. b.: *εἰς τοὺς χρόνους ἀναβιβάζων τοῦ Θεοκρίτου τὸν Φιλοπάτορα*).

Eorum quae schol. de Theocriti aetate afferunt duplex recensio discerni potest: prolegomenorum enim autor (in cod. Medic. 37. ad

---

[1]) Valckenar. *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ Πτολεμαίου τοῦ ἐπικληθέντος Λαγωοῦ.* Meinek. *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ Πτ. τοῦ ἐπικλ. Λάγου.* Fritzschius cum Ahrens. *κατα τὸν Πτ. τὸν ἐπικλ. Φιλάδελφον τοῦ ἐπικληθέντος Λάγου.*

I. 1.) poetam Ptolemaeo I. rege floruisse (ἤκμαζεν) exhibet; hanc opinionem servavit ὑπόθ. id. IV., ubi in omnibus codd. (excepto cod. Medic. 37.) Theocritum circa ol. 114. (= $^{324}/_{321}$. a. Chr. n.) quae initium imperii Ptolemaei I. videtur designare, floruisse — ὥσπερ ἐδείξαμεν, scilic. in prolegomenis de poetae vita — legimus. Alteram opinionem, Theocritum Ptolemaei Philadelphi temporibus vixisse (ἐγένετο), invenimus in prolegg. (excepto cod. Ambr. 222. qui om.) ubi de Theocriti aequalibus agitur. Atque Ahrens. quidem, ut illa discrepantia tollatur, schol. errorem statuens priore loco legendum esse censet ἤκμασε δὲ κατὰ τὸν Πτολεμ. τὸν ἐπικλ. Φιλάδελφον τὸν Πτολεμαίου τοῦ ἐπικληθ. Λάγου, quam lectionem accepit Fritzschius. Attamen nobis omnino non licet grammaticorum errores (librariorum non esse docent variae lectt.) tali modo corrigere: itaque reliquorum quoque emendationes reiciendas esse statuo grammaticorum insignem errorem agnoscens. Errasse autem schol. facile intellegitur ex Theocr. carminibus XVI. et XVII., quae Ptolemaei II. Philadelphi temporibus scripta et omnino poetae ἀκμήν indicare infra videbimus.

Ex duobus autem fontibus grammaticos prolegg. de Theocr. aetate sine ratione conscripsisse manifestum est, quoniam, si non fecissent, duobus deinceps locis duorum regum aetate Theocriti florem certe non designassent. Alterius autem fontis auctor Theocriti aetatem ex Philetae, qui teste Suida Philippi et Alexandri erat aequalis, cum Theocritum eius discipulum fuisse pro certo haberet (id. VII.), alterius ex aequalium aetate, praesertim cum id. XVII. in Ptolemaei Philadelphi honorem scriptum legeret, videntur descripsisse.

Vitae autem Theocriteae ἀκμήν designare idd. XVI. et XVII., quippe quorum anni natales enucleari ferme possint, pro certo affirmare velim: sunt anni 269—263 a. Chr. n. ut videbimus. Sed circumspiciendum est nonne aliae res, quibus definiamus Theocriti aetatem, inveniri possint: eas ni fallor nobis suppeditant Theocriti aequales.

Ordiamur autem a Phileta praeceptore, quem Bachii, Ritschelii et Koepkei computationibus nisi circa annum 285. a. Chr. n. diem ultimum obiisse statuimus. Cum autem Theocritus Philetae ἀκουστής appelletur eum circa a. $^{305}/_{300}$. a. Chr. natum esse verisimile est (cf. seqq.). Asclepiadis alterius praeceptoris aetas, quippe quae nimiis involuta sit tenebris, novas res nobis non praebet.

Aequalis erat Theocritus scholiasta teste Arati, Callimachi, Nicandri. Atque Arati quidem annum natalem Ritschl. l. l. p. 88. in ol. $^{118}/_{119}$. ($^{308}/_{301}$. a. Chr.) cadere recte coniecit, Schneider. (Nicandrea p. 13.) eum ante annum 295. a. Chr. natum esse statuit, Koepke denique in egregia de poetae Solensis aetate dissertatione (p. 21.) refutata Linckei coniectura [1]) eum ol. 119. 4. ($^{301}/_{300}$. a. Chr. n.) fere in lucem editum esse luculentissime demonstravit. Amicissimum autem fuisse Aratum Theocrito docent idd. VI. et VII.: inprimis autem inspiciendi sunt id. VII. vss. 96. ad 127. usque, quibus Theocritus suum amorem felicem (96.) Arati infelici tam iocose et facete (98. 103. 122.) opponit, ut ambos eisdem fere annis natos revera igitur *ἰσοχρόνους* (*ὑπόθ*. ad id. VI.) fuisse manifestum sit. Itaque ex hac quoque ratione Theocritus circa a. $^{305}/_{300}$. a. Chr. natus est.

Callimachus quoque Theocriti aequalis erat. Natus autem est secundum Ritschl. l. l. brevi post ol. $^{114}/_{115}$. ($^{324}/_{317}$. a. Chr.), secundum Lincke l. l. circa ol. $^{118}/_{119}$. ($^{308}/_{301}$. a. Chr.), secundum Couat. denique, qui quod sciam novissimus de hisce rebus egit, circa a. 305. a. Chr. n. (ol. 118. 4.). [2]) Digni autem qui hic afferantur duo biographorum Arati loci sunt: *γηραιῷ δὲ τῷ Κυρηναίῳ ἐπεβάλλετο, παρ' ᾧ καὶ ἐπιγράμματος ἠξιώθη* (cf. ep. Call. 27. Mein.) et *μέμνηται δὲ αὐτοῦ Καλλίμαχος ὡς πρεσβυτέρου, οὐ μόνον ἐν τοῖς πρὸς Πραξιφάνην κτλ.* ex quibus elucet Callimachum Arato supparem fuisse aetate: nam si Aratus cum Callimacho sene convenit, ipse quoque senex erat. Comparativi autem *πρεσβυτέρου* notionem non urserim, cum loci, quos dicit schol., non legantur in Callimachi reliquiis. Verisimillimum igitur videbitur tibi, si ea quae de Arati aetate attuli in mentem revocaveris, Callimachum iisdem fere annis atque Theocritum natum esse.

Tertium Theocriti aequalem habet schol. Nicandrum Colophonium, qui et ipse inter Arati a biographo quarto nominatur. Hunc

---

[1]) M. A. Lincke: De Callimachi vita et scriptis. D. J. Hal. 1862. p. 7. seq.

[2]) Cf. A. Couat: La querelle de Callimaque et d'Apollonius de Rhodes. (extrait de l'Annuaire de l'Association pour l'encouragement des études grecques en France — Année 1877) p. 34 — et: — Remarques sur la date et la composition des hymnes de Callimaque. extr. etc. Paris 1879 p. 11. n. 2: »s'il est impossible d'en affirmer l'exactitude absolue, il y a au moins de bonnes raisons de croire qu'elle est à peu près exacte«.

autem poetam sub finem tertii a. Chr. n. saeculi in lucem editum et falso inter Arati et Theocriti aequales relatum esse docuit v. d. Schneider (Nicandrea p. 10. seqq.), cuius ratiocinationi plane assentior.

Ne Nicias quidem medicus, Theocriti amicus (cf. idd. XI. XIII. XXVIII.), omittendus est: appellatur autem Erasistrati *συμφοιτητής* *ὑπόθ*. id. XI.), quae vox denotat, eum eiusdem praeceptoris, scilicet Praxagorae Coensis, disciplina usum esse atque Erasistratum. (Cf. Plat. Phaedr. 255 a. Euthyd. 272. c. Xen. Hell. 2. 4. 16). Hunc autem medicum celeberrimum Ptolemaeo I. regnante floruisse docent loci, quos Sprengel l. l. collegit: itaque Nicias quidem, cum idd. XI. XIII. XVIII eum Theocriti aequalem esse ostendant, aetate paullo minor erat Erasistrato.[1])

Quam diu vixerit Theocritus aut quo anno diem ultimum obierit nos plane ignoramus. Munatum quidem grammaticum eum Ptolemaeo Philopatore regnante (222—205 a. Chr. n.) mortuum esse falso statuisse dicit schol. *ὑπόθ*. XVII. Quater autem hunc Munatum reprehendunt scholl. (cf. II. 100. *ὑπόθ*. III. VII. XVII.), bis cum eo consentiunt (VII 107. 138): atque cum saepius contra Munatum quam contra quemquam alium idque acerbius disputent, recte Ahrens. (vol. II. praef. p. XXXII) suspicari mihi videtur, scholiorum vetustiorum scriptorem Munato interpreti aemulum extitisse. Sed hac quidem re, praesertim cum etiam de errore, quem schol. *ὑπόθ*. III. statuunt, dubitari possit, omnino non demonstratur Munatum de Theocriti anno letali quoque errasse. Haulerus l. l. p. 16 quidem Munati auctoritatem Moschi epit. Bion. vs. 94. (ed. Meineke[2]) nisus defendit, Ahrensius l. l. plane spernendam putat: equidem rem in dubio relinquendam esse censeo, cum nullum inveniatur testimonium (nam quod Stat. silv. III 151. Theocritum »Siculum senem« appellat nil demonstrat), quod nos Theocrito etiam plus quam octoginta annos, quot vixit si Philopatore rege vita decessit, tribuere cogat, quantam senectutem praeterea scriptorum interpretes suis verbis adnotare solent, et senectutem attigisse Theocritum ipsius carmina comprobare videantur: inspicias id. XXIX. (Ahrens.) vs. 3. seq: *τὸ γὰρ*

[1]) Cf. G. Parthey: Das alex. Museum Berl. 1838 p. 178. et Hecker: Geschichte der Heilkunde I. p. 301 ibid. laud.

[2]) Hic nonnullos versus excidisse viri docti iam pridem intellexerunt: qua re quid sibi velit totus locus non perspicitur.

ἅμσυ τᾶς ζοΐας ἔχω ‖ *ζὰ τὰ σὰν ἰδέαν, τὸ δὲ λοιπὸν ἀπώλετο,* quibus se ipsum certe designavit poeta, et id. XXIII., si est Theocriteum, vs. 28. seqq., quae verba omnia de vitae humanae fragilitate agunt talemque tristitiam prae se ferunt, ut poetam aetate provectiorem id carmen scripsisse opineris; cf. praeterea id. XIV. vs. 68. seqq: *ἀπὸ κροτάφων πελόμεσθα* ‖ *πάντες γηραλέοι, καὶ ἐπισχερὼ ἐς γένυν ἕρπει* ‖ *λευκαίνων ὁ χρόνος,* quos Hauler. l. l. p. 10. ad Theocritum ipsum spectare censet.

Ad mortem denique Theocriti referebantur Ov. Ibid. vs. 551:

Utve Syracosio praestricta fauce poetae
Sic animae laqueo sit via clausa tuae,

cum schol. Theocritum designent[1]). Sed recte Fritzschius (de poet. gr. buc. p. 10.) hanc fabulam reiecit[2]). Concedendum sane est Ovidii aequales Theocritum sollemni usu poetam Siculum sive Syracusium appellasse: at Callimachus, quem expressisse se dicit ipse Ovidius[3]), hoc loco Theocritum designare non potuit, quoniam scripsit Ibidem in Apollonium Rhodium quo tempore Theocritus inter vivos certe erat.[4]) Itaque ego quoque crediderim Ovidium eo loco Empedoclem, quem Horatius A. P. vs. 463. »Siculum poetam« appellat, denotasse, praesertim cum una ex permultis de interitu huius vatis praesagientis fabulis eum faucibus praestrictis interiisse narret. Ceterum cf. Fritzsch. l. l.

---

[1]) Schol: »id est Theocrito Syracusio poetae, qui quum in Hieronis tyranni filium invectus esset, ab eo ideo est capi iussus ut eum ad supplicium trahi simularet. Interrogatus si deinceps a maledictis desisteret, ille eo acrius etiam regi ipsi maledicere coepit, qui indignatus non iam ad simulatum, sed ad certum supplicium rapi iussit: quidam laqueo strangulatum quidam caput caesum prodidere«: non sapiunt ea Theocritum.

[2]) Falso Theocritum nominari intellexit iam J. A. Fabricius: bibliotheca graeca. ed. IV. cur. G. Christoph. Harles. vol. III. Hamburg 1793. p. 767.

[3]) Ov. Ib. 55.61: nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin,
Hoc ego devoveo teque tuosque modo,
Utque ille historiis involvam carmina caecis,
Non soleam quamvis hoc genus ipse sequi.
Illius ambages imitatus in Ibide dicar,
Oblitus moris iudiciique mei.

[4]) Cf. A. Weichert: Ueber das Leben und Gedicht des Apoll. von Rhodus, Meissen 1821. § 10. seqq. M. A. Lincke: De Callim. vit. et script. p. 20. Couat.: La querelle etc. p. 23. seqq. al.

V.

schol. *Θεοκρ. γέν. περὶ δὲ τὴν τῶν βουκολικῶν ποίησιν εὐφυὴς γενόμενος πολλῆς δόξης ἐκ τούτων ἐπέτυχεν.*

Theocritum propter artis suae praestantiam summam sibi paravisse gloriam testes sunt Longinus (*περὶ ὕψους* p. 54. lin. 18.) (ed. O. Jahn. Bonn 1867.), Quinctilianus (Instit. X. I. 55.), Gellius (N. A. IX. 9.), Probus (prooem Verg. buc. p. 348. ed. Lion.), quos locos collegit Fritzsche (ed. m. p. 9.): Longini autem verba Fritzschius negligentius exscripsit, omisit enim enuntiatum *πλὴν ὀλίγων τῶν ἔξωθεν,* quo Longini iudicium plane aliud fit. Verba enim uti leguntur in codd. haec sunt: *κἂν τοῖς βουκολικοῖς πλὴν ὀλίγων τῶν ἔξωθεν ὁ Θεόκριτος ἐπιτυχέστατος.* Illustraverunt autem viri docti enuntiatum *πλὴν ὀλίγων τῶν ἔξωθεν,* quod sane obscurius est, hoc modo: Fabricius (biblioth. gr. vol. III. p. 766.) vertendum proposuit »exceptis quibusdam alterius argumenti«, Weichertus (l. l. § 58.): »Einige Stellen, wo er seinem Character nicht treu geblieben ist, ausgenommen«. Neutri assentior: Longini enim verba ita composita sunt, ut ex ratione logica ea quae enuntiato *πλὴν ὀλίγων τῶν ἔξωθεν* reprehendantur inesse debeant in ipsis carminibus bucolicis. Spectant autem *τὰ ἔξωθεν,* quae dicit Longinus, mea sententia ad pastores personatos (cf. id. VII. id. IX. vs. 28. seqq. c. explic. Boissonad. al.) et eos locos, quibus aequales significavit poeta (cf. IV. 20. seqq. IV. 31. seqq. VII. 45. seqq. al.), itaque vertendum esse locum censeo: »In seinen Hirtendichtungen ist Theokrit, wenige Aeusserlichkeiten ausgenommen, ein überaus glücklicher Dichter.« Recte igitur Longinus Servii l. l. deseruit iudicium, qui: »et aliquibus locis, inquit, per allegoriam [Vergilius] agit gratiam Augusto vel aliis nobilibus —: in qua re dissentit a Theocrito. Ille enim ubique simplex est«: minime ubique simplex Theocritus!

Carminum autem Theocriteorum venustatem et candorem disertis verbis exponere et omnia ex intima arte poetica deprompta esse demonstrare supervacaneum certe est. Nostrae quoque aetatis gravissimos carminum arbitros Theocrito artis bucolicae palmam tribuere omnes sciunt; nec tamen desunt obtrectatores: Fr. Schlegel quidem, ut hunc solum loquentem inducam: »Theokritus, inquit[1]), ist

[1]) Cf. ephem. Athenaeum edd. A. W. et Fr. Schlegel, Berol. 1800 vol. III. p. 229.

nicht selten pikant genug in kräftiger Darstellung üppiger Hirten, aber zärtliches Gefühl kannte er nicht.... wir wundern uns nicht, den roheren Theokritus auf den zierlich vollendeten Bion folgen zu sehen, quae quomodo demonstraverit vel potius defenderit equidem nescio. Contra nimias laudes cumulavit in Theocritum J. P. E. Greverus, qui poetae artem celebrans scripsit...[1]) »meines Lieblings Theokrit, den ich für einen der grössten Dichter halte, die jemals gelebt haben!« Nam cum concedendum sit eum in arte bucolica felicissimum et certe summum esse poetam, tamen, cum eius musa rustica non aequet epicam vel lyricam vel dramaticam, eum aequiperare Homerum vel Alcaeum vel Sophoclem vel Aristophanem omnino negari debet.

Accedamus nunc ad quaestionem de vocis *εἰδύλλιον*, qua appellari solent Theocriti carmina, vi et notione. De origine autem huius vocis v. d. Leo Meyer[2]) haec in medium protulit: »Der im Lateinischen in verkleinerten (rectius verkleinernd?) Bildungen sehr häufig auftretende Laut l findet sich in solchen Bildungen auch im Griechischen nicht selten und zwar mehrfach noch in Vereinigung mit dem Schlusssuffix *ιο*. So sind zu nennen *κογχύλιο* — kleine Muschel (zu *κόγχη* Muschel neben dem auch *κογχύλη*, Purpurschnecke, auftritt), *ἀνθύλλιο* — Blümchen etc., in qua enumeratione invenitur: »*εἰδύλλιο* — ein schilderndes Gedicht (*εἶδος* **Gestalt**)«, quam explicationem ex ipsius Meyeri ratione falsissimam esse unusquisque statim intelleget! —

De notione vocis *εἰδύλλιον* viri docti varias protulerunt sententias: plerumque ea vox verti solet »Genrebildchen«[3]), quod verbum neque totius poeseos Theocriteae (cf. idd. XII. XVI. XVII. XXIII. XXVI. XXVIII.) indolem et naturam recte significat neque vocis graecae vim[4]) amplectitur. Praeterea autem vereor, ne hoc modo

---

[1]) Cf. Greverus: Kleine Beyträge etc Bremen 1830. praef. p. V.

[2]) Leo Meyer: Vergleichende Grammatik der Griech. und Lat. Sprache, Berlin 1865. vol II. p. 484.

[3]) Cf. O. Ribbeck: Preussische Jahrbücher ephem. vol. 32. (de Theocr. idd.) — Reinhold Biese: De poesi Theocritea observationes. D. J. Rostoch. Strals. 1874 init. praeter al.

[4]) Cf. Wissowa: Theocritus Theocriteus sive idylliorum Theocriti suspectorum vindiciae. Vratislaviae 1828. D. J. p. 14. seqq.

in similem errorem recurramus, quem interpres vetus iam reprehendit: *οὐκ ἡδύλλιον παρὰ τὸ ἥδω, τὸ εὐφραίνω*[1]). Copiosissime autem de eius vocis notione et vi egit v. d. Christ, qui novam et satis doctam proposuit explicationem, quam nunc brevibus adumbrabo. Orditur a Pindari carminibus, quae *εἴδη* i. q. nostrum »Weisen« propter numerorum[2]) diversitatem appellata esse censet. Ea quidem *εἴδη* disposuisse Apollonium et inde *εἰδογράφον* appellatum esse[3]). *Εἰδύλλιον* igitur, cum *εἶδος* sit poema, esse poematium. Hanc autem vocem non spectare ad versuum numerum aut carminis ambitum minorem (nam multa Theocriti carmina aequare vel superare versuum numerum carminum Pindari), immo servare *ὀνομάτων ὑποκοριστικῶν* indolem et significare igitur carmina lepida et venusta[4]): hoc esse poeseos bucolicae et aptissime igitur Theocriti carmina pastoralia appellata esse *εἰδύλλια* vel potius *εἰδύλλια βουκολικά* (cf. schol. Ahrens. p. 7.). Quod quidem eo tempore factum esse, cum vox *εἶδος* numerorum diversitatem iam non designaret sed omnino carmen: itaque vox *εἰδύλλιον* carmen minusculum (p. 57.) Quod factum esse inter II. et VI. p. Chr. n. saec. (p. 58.)

Haec fere Christii dissertationis summa est: persuasit mihi quidem non. Nam primum quidem ego non crediderim, Theocriti carmina ideo *εἰδύλλια* (»kleine Weisen«) appellata esse, ut Pindari *εἴδεσιν* (»hohe Weisen«) opponerentur[5]): cur tandem Theocritus Pin-

[1]) Cf. »Ueber das Idyll« in »Verhandlungen der 26. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner in Würzburg 1868« Leipzig 1869 p. 49—58.

[2]) Ibid. p. 55: »Mit Rücksicht also auf diese verschiedenen melischen und metrischen *εἴδη* wurden die Oden Pindars, von denen jede eine verschiedene metrische Form hatte, selbst *εἴδη* genannt, ein Ausdruck, dessen Ursprung sich auch später (?) noch darin kund gab, dass er speciell bei den metrischen Analysen angewandt wurde!«

[3]) Et. M.: *τὰ εἴδη τοῖς εἴδεσιν ἐπένειμεν*. cf. schol. Pind. P. II init. c. not. Boeckh.

[4]) Christ. l. l. p. 56: »So verstand man auch unter *εἰδύλλιον* nicht bloss ein dem Umfang nach kleines Lied, sondern auch ein solches, welches, abgesehen von seiner Grösse, durch seine Glätte und Nettigkeit gefiel. Nun unterscheiden sich aber die Gedichte des Theokrit gerade durch den Character des *γλαφυρὸν* von der *αὐστηρὰ ἁρμονία* der dorischen Lyrik, und es dienten also die Wörter *εἰδύλλια* und *εἴδη* trefflich dazu, gleich in der Ueberschrift die besonderen Eigenschaften der beiden Dichter anzudeuten«. (Sed Theocritus, quod ad bucolica quidem carmina attinet, et ipse est poeta Doricus).

[5]) Christ. l. l. p. 56: »Es dienten also die Wörter *εἰδύλλια* und *εἴδυ* trefflich dazu, gleich in der Ueberschrift die besonderen Eigenschaften der beiden Dichter anzudeuten«.

daro est oppositus vel quae ratio intercedit inter ambos, ut grammatici statim carminum inscriptionibus alterius artem abhorrere ab alterius designare debuerint? Cur praeterea solius Theocriti carmina, quamquam aliorum quoque carmina sunt lepida et venusta, grammatici appellaverunt *εἰδύλλια*? Contendit tum Christius Pindari epinicia *εἴδη* i. q. carmina appellata esse [1]: cuius rei nullum afferri potest testimonium. Invenimus e. c. *εἴδη κατὰ σχέσιν, εἴδη ἀλλοιόστροφα, εἶδος κατὰ δάκτυλον, εἶδος τροχαϊκόν* et sim. (cf. Christ. l l. p. 54. seq.): sed semper vox *εἶδος* servat s p e c i e i notionem neque video vocem *εἶδος* s o l a m p o s i t a m unquam accepisse c a r m i n i s notionem. Nam Apollonius, de quo diximus, ideo est vocatus *εἰδογράφος*, quod Pindari carmina ex artis musicae diversitate in varias species disposuit: Et. M: *εὐφυὴς ὢν ἐν τῇ βιβλιοθήκῃ τὰ εἴδη τοῖς εἴδεσιν ἐπένειμεν. τὰς γὰρ δοκούσας τῶν ᾠδῶν Δώριον μέλος ἔχειν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνῆγε καὶ Φρυγίας καὶ Λυδίας, Μιξολυδιστὶ καὶ Ἰαστί.* [2]) Itaque mea quidem sententia ne vocis *εἰδύλλιον* quidem ea origo, quam statuit Christius, esse potest. Cui praeterea Christius persuadebit vocis *εἶδος* notionem a grammaticis brevi a. Chr. n. constitutam paullo post (cf. Christ. p. 54.) iam adeo evanuisse (cf. Plin. Ep. IV. 14. Christ. p. 57. seq.) ut sensum immutaret: immo tales voces, cum sollemni usu adhiberentur, etiam sollemnem notionem in grammaticorum scholis servasse verisimillimum est.

Mea quidem sententia res plane alio modo explicanda est.

Minime credibile mihi videtur linguam graecam nonnullis saeculis p. Chr. n. etiam eo vigore floruisse, ut plane novas voces procrearet. Praeterea autem non video, quid tandem commoverit eius aetatis grammaticos, ut novum carminum Theocriteorum nomen invenirent (nam Pindari artem aliam esse atque Theocriti unusquisque

---

[1]) Christ. l. l. p. 56. seq.: »Es konnte also der Name Idylle in dem bezeichneten Sinne erst aufkommen, als bereits das primitive *εἶδος* ganz die ursprüngliche Bedeutung einer besonderen rhythmischen und metrischen Weise abgestreift und den allgemeinen »Lied, Gedicht« angenommen hatte« etc.

[2]) Christ. l. l. p. 51. haec habet: »*εἰδύλλιον λέγεται τὸ μικρὸν ποίημα, ἐπινίκιον δὲ λέγεται ἓν ἕκαστον τῶν τοῦ Πινδάρου* (schol. Theocr. prolegg. III I. Fritzsch.) was verschrieben ist aus: *ε ἶ δ ο ς δὲ λέγεται ἓν ἕκαστον τῶν τ. Π. ἐπινικίων*. Sed non video mutationis causam neque indicavit Christ: mutasse videtur ut extaret locus quo firmaret opinionem suam.

sciebat), quoniam eo tempore omnino pervulgata erant et suo nomine appellabantur. Itaque aliam viam ingrediar: quamquam conscius mihi sum me quoque in re difficillima nihil proferre posse nisi coniecturam, quae tamen apta fortasse est ad enucleandum verum.

Vox *εἰδύλλιον* a bibliothecariis Alexandrinis conformata mihi videtur esse. Poemata enim maiora sive res nobiliores pertractantia, quae asservabantur Alexandreae, ab ipsis bibliothecae custodibus dividebantur in *εἴδη*, e. c. in *εἶδος ἐπικόν, εἶδος τραγῳδικόν, εἶδος κωμῳδικόν κτλ.* [1]) Quod concludere nobis licet, cum memoriae traditum sit Lycophronem quidem comoedias, Alexandrum Aetolum tragoedias, Zenodotum reliqua poemata, cum bibliotheca Alexandrina conderetur, disposuisse. Disposuerunt igitur in *εἴδη* eaque voce, cum aptissima et dignissima (respicias philosophorum usum) esset, certe usi sunt, qua singulas species appellarent [2]). — Carmina autem minora sive res humiliores pertractantia dividebantur in *εἰδύλλια*, e. c. in *εἰδύλλιον βουκολικόν, μιμικόν, ἐπικόν, μελικόν* et sim. Designabantur igitur ea voce carmina non modo minora, quae hoc modo eiusdem generis carminibus maioribus opponebantur, sed etiam ea quae e genere humiliore erant: non dico carmina, quae minore arte scripta et composita erant, immo erat haec classis mea sententia ea, quam summopere colendam proposuit Callimachus, nam *μέγα βιβλίον μέγα κακόν*. Ipsius Callimachi hymni ex hoc genere erant, nam poeta consulto hymnorum Homericorum grandiloquentiam et epici coloris onus deserens hoc humilius genus, quod vero summa arte expolitum erat, constituit; huc refero etiam Lavacrum Palladis et (quantum videre licet) Cydippen: sunt quae nos appellamus Kabinetstücke.[3]) Praeterea mimos, phlyaces, hilarotragoedias et quae similiter vitam cotidianam describunt vel perstringunt in hac classe numero, quae qualis fuerit optime intellegitur ex carminibus Theocriteis, quae omnia collocabantur in idylliis. Atque cum igitur eius carmina collocata essent ex argumentorum ratione in *εἰδυλλίῳ βου-*

---

[1]) Cf. de hac quaestione: Fr. Ritschl: Die alex. Bibl. I. 2.

[2]) Quod grammatici postea hac voce usi sunt qua designarent carminum species (propter causas metricas vel rhythmicas vel al.) huc non facit.

[3]) Mihi quoque v. *εἰδύλλιον* servasse videtur *ὀνομάτων ὑποκοριστικῶν* indolem ita ut denotet »speciem minorem lepidamque«, cum vero hoc genus de quo agimus latissime pateat, quo »lepidus« alias aliud ponendum est.

κολικῷ, — μιμικῷ, — ἐπικῷ κτέ., ipse sollemni usu, quoniam nullius poetae praeter Theocriti carmina in tot *εἰδυλλίοις* disponenda erant, appellatus est *ὁ τῶν εἰδυλλίων ποιητής*, der Dichter der kleinen (naiven, zierlichen etc.)[1]) Arten: hoc memoriae traditum est. Paullatim autem vox *εἰδύλλιον* ex bibliothecae Alexandrinae scriniis in usum vulgarem delapsa sensum ita immutavit, ut non solum eam quam dixi carminum speciem, sed etiam tale carmen, quod referendum erat in eam speciem designaret: eo sensu primum quantum video invenitur Plin. Ep. IV. 14: »accipies cum hac epistola hendecasyllabos nostros . . . . . . sive i d y l l i a, sive eclogas, sive ut multi poematia«. Retinuit hunc vocis sensum ideo Theocritum idylliorum poetam (*ὁ τῶν εἰδυλλίων π.* cf. supra) appellatum esse censens Eratosthenes grammaticus, qui singulis Theocriti carminibus argumenta Ahrensio videtur adscripsisse: cf. arg. I: *διὰ μὲν τούτου τοῦ εἰδυλλίου, ἐν τούτῳ τῷ εἰδυλλίῳ.* III: *ἐπιγράφεται μὲν τὸ εἰδύλλιον τοῦτο.* XV: *ἐπιγράφεται μὲν τὸ εἰδύλλιον Συρακούσιαι* (quamquam est mimus). XVI: *τοῦτο τὸ εἰδύλλιον γέγραπται εἰς Ἱέρωνα* (encomium) etc. — Cum autem Theocritus novi poeseos generis, bucolici dico, auctor esset, unde gloriam vel maximam sibi paravit, ipse quoque sollemniter *ὁ τῶν βουκολικῶν ποιητής* vocatus est, sicut Aratus *ὁ τῶν Φαινομένων π.* et Apollonius *ὁ τῶν Ἀργοναυτικῶν π.*, quamquam alia quoque carmina scripserunt. Eo spectat epigramma supra laudatum:

> *Ἄλλος ὁ Χῖος· ἐγὼ δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδ' ἔγραψα,*
> *εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμὶ Συρηκοσίων,*
> *υἱὸς Πραξαγόραο περικλειτῆς τε Φιλίνης·*
> *μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔτιν' ἐφειλκυσάμην,*

quod originem videtur duxisse ex Callimachi literatis indicibus[2]), vel eorum, qui post eius mortem illud opus continuaverunt. Nam *πίνακας*, qui vocantur, Callimachus eam inprimis ab causam scribere coepit, ut quivis homo doctus bibliothecam illam permagnam facile adire posset, atque crediderim id opus post eius mortem, nam bibliotheca in dies aucta est, a bibliothecae custodibus continuatum esse.[3])

[1]) Dico ea omnia quae insunt in *ὀνόματι ὑποκοριστικῷ*: tum melius quadrat nostrum naiv. tum zierlich etc.

[2]) Cf. epigr. Call. XXVII. c. not. Meinek., epigr. VI. quoque huic catalogo facile inseres.

[3]) Cf. Fr. Ritschl. l. l. I. 3.

Ceterum hi *πίνακες* hunc in modum instructi erant.[1]) Primum auctoris nomine edito et si de eo dubium erat hoc monito (Diog. L. IX. 23.) vita eius breviter describebatur:

cf. epigr. I: *ἄλλος ὁ Χῖος· ἐγὼ δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδ' ἔγραψα,*
εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμὶ Συρηκοσίων,
υἱὸς Πραξαγόραο περικλειτῆς τε Φιλίνης.

Cum autem non dicatur de morte Theocriti, audacius statuere mihi non videor, scriptum esse hoc epigramma vivo etiam Theocrito in collectionem iam tum factam. — Sequebatur titulus operis, cuius si duplex erat, uterque literis consignabatur (Athen. XI. 496.); tum operis initium indicabatur. Etiam brevem argumenti enarrationem cuicunque operi adiectam fuisse suspicati sunt Meier (prooem. aest. Hal. 1836. p. XI.) et Wachsmuth. (Philol. XVI. 665. seqq.), quod vero addubitavit Lincke. Manifestum autem est rationem aliam certe fuisse in magnis operibus vel poeticis vel oratione pedestri scriptis, aliam in carminibus minusculis. Veridissimile enim est uniuscuiusque carminis Theocriti initium in catalogo illo descriptum esse; itaque ego crediderim, eorum poetarum, qui poematia scripserunt, solum genus poeticum, quo maxime inclaruerint, brevibus adumbratum fuisse. Quod factum videmus in epigr. de quo agimus, cuius vs. ultimus:

μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔτιν' ἐφειλκυσάμην

aperte designat Theocritum carminum bucolicorum poetam, quibus maxime inclaruit: ego, ita enim Theocritus loquens inducitur, Syracusanus musa alienigena spreta patriam i. e. bucolicam colui vel colere coeperam. Ex hoc epigr., qui igitur fons erat optimus, Suidas eorum quae de Theocrito affert partem hausit. Rem autem ita instituit, ut ea, quae non convenirent cum epigr., dubitans afferret: cum igitur epigr. vs. ultimo sola bucolica ut Theocritea designata inveniret, de reliquis carminibus Theocriteis dubitavit et *τινὲς δέ,* scripsit, *ἀναφέρουσιν εἰς αὐτὸν κτἑ.*

Dubitandum autem non est, quin Theocritus ea quoque carmina, quae addit Suidas, revera composuerit: *Προιτίδας, Ἐλπίδας, ὕμνους, ἡρωίνας, ἐπικήδεια μέλη, ἐλεγείας, ἰάμβους, ἐπιγράμματα.*

Atque Proetides quidem servatae nobis non sunt: res quas

[1]) Cf. Lincke l. l. p. 37.

tractasse videntur enarrat Apollodorus (II. 2. 2.), argumentum igitur simillimum erat Baccharum (cf. id. XXVI.)[1])

Num Theocritus Ἐλπίδας scripserit dubitari potest, cum Suidas idem carmen Callimacho[2]) quoque tribuat: recte autem confert Haulerus id. IV, vs. 42. seq. Error videtur esse Suidae, scribendum erat Χάριτες (id XVI.), quod carmen (ne ἐγκώμια quidem appellat) omisit.

Hymni sunt idd. XVII. (cf. vs. 7.) in Ptolemaeum Philadelphum, XXII. in Castores (cf. schol. Arist. Nub. 210.)[3]), XXVI. in Bacchum (cf. vss. inde a 33., qui hymnos Homericos imitantur). Praeterea Berenice, cum celebret divam Ptolemaei Philadelphi matrem, hymnorum indolem videtur habuisse.

Ἐπικήδεια μέλη[4]) Aratum quoque composuisse constat: tamen noli dubitare, quin Theocritus ea composuerit, cum poetae aevi Alexandrini mira ubertate florerent. Nullum autem in collectione, quam nos habemus, invenitur carmen, quod in hoc consolationum vel cantilenarum funebrium genere numerari possit, nisi eo nomine Suidam appellasse vis id. I. in Daphnidem moribundum et id. XXIII. in amatorem infelicem.

Elegiae servatae nobis non sunt: dixit Suidas fortasse id. XXVIII. (quamquam metro Sapphico scriptum est) et epigrammata quae vulgo numerantur I. III. IV. V., quippe quae omnino elegiarum indolem servent. Praeterea carminis octavi particulae ex elegiis deperditis compositae videntur esse.[5])

Iambi leguntur inter epigrammata XVI. XIX. XXI.

Epigrammata denique in nostra collectione scripta vides in Daphnidem arma pastoralia Pani dedicantem (II.), in Aesculapi statuam (VII.). in Musarum statuam a Xenocle factam (X.), in tripodem a Damomene Baccho constitutam (XII.), in Venerem Uraniam (XIII.), in Epicharmum Coensem (XVII.), in Pisandrum Camirensem XX. Epigrammata XVI. (in Anacreontem), XIX. (in Archilochum; alius

---

[1]) Cf. Fritzsche de poet. gr. buc. p. 25. Hauler. l. l. p. 36 coll. Verg. ecl. VI. 47.

[2]) Cf. Lincke l. l. p. 37. Hauler. l. l. p. 37.

[3]) Poetam aliquamdiu hymnis operam navasse Haulero vs. 213. seq. indicare videntur: locus nihil valet, imitatur poeta hymn. Homer.

[4]) De »Heroinis« infra agemus.

[5]) Cf. Meinek. ad VIII. 33.

videtur esse, cf. Ahrens epigr. 24.), XXI. (in Hipponactem) in iambis numeravi: res non patet, cum quae carmina significaverit Suidas eo nomine non perspiciatur. — De epigr. VIII. XI. XIV. XV. XVIII. XIX., cum etiam Leonidae Tarentino tribuantur, nil constat; epigr. IX. primum distichon Theocriti est (cf. Meinek.); epigr. XXII. Artemidorus scripsit in bucolicorum collectionem ab eo constitutam; epigr. XXIII. Anth. Pal. (IX. 435.) eidem Artemidoro tribuit (cf. Ahrens. I. p. 170.): quid rectius statuendum videatur supra exposui. Epigr. XXIV. Meinekius obelo eam ob causam confodit, quod indignum ei visum est Theocrito. Non concedo, cum et mutilum et corruptum videatur esse (cf. Ahr.): praeterea Theocritus id. IV. 30. (ubi vid. scholl. coll. Bergk. Rhein. M. 1842. p. 357. seq.) Glaucae citharistriae mentionem fecit, quo verisimillimum fit etiam hoc epigramma Theocrito deberi. — Duo addit Ahrens. epigr. (XVI. et XXII.) et unum Meineke. (XXV. cf. adn. p. 409.), quae neque vulgo leguntur inter Theocritea et aliorum certe sunt autorum. cf. edd.

Hunc Suidae catalogum plenum et integrum non esse, cum nonnulla carmina reliqua sint, quae in eo collocari non possint, facile intellegitur. Atque primum quidem restat genus mimicum, cui adnumeranda sunt idd. II. XIV. XV. XXI., quibus Sophronem imitatus est poeta. Sequitur genus, quod equidem appellarim παιδικά, delicias, carmina amatoria. Recte enim Bergkius (ind. schol. Hal. 1865/66. p. XVI.), quoniam singulare carmen rectius παιδικόν dicendum esset, quemadmodum ἐρωτικόν (— ᾠδάριον) al., inscriptionem παιδικὰ αἰολικά non tantum ad carmen XXIX., sed etiam ad carmen XXX., quod Zieglerus primus publici iuris fecit, et fortasse ad alia similis argumenti spectare contendit. Atque ego quidem huic generi praeter idd. XXIX. et XXX. asserendum censeo id. XII., cuius inscriptionem ἀΐτης grammatici eruerunt e versu 14: eiusdem generis sunt idd. XXIII. et XXVIII., quod in duobus codd. inscriptionem habet παιδικά.

Disserendum nunc est de carminibus subditiciis: abiudicanda esse censeo cum vv. d. Ahrens. Meineke. Fritzsche., ut recentiores tantum editores (Zieglerus has quaestiones silentio praeteriit) nominem, carmina XIX. XX. XXVII., uti vulgo numerantur in editionibus, propter causas quas luculentissime exposuerunt edd. Carminum vero XXI. XXIII. XXV. integritatem et genuitatem cum Meinekio ab

Ahrensio et Fritzschio, qui ipse quoque id. XXV. Theocriteum esse censet, defendam.[1]) Copiosissime quidem Fritzschius id. XXI. »proscribendum« esse demonstrare studuit: sed causae quas protulit omnino non sunt aptae ad persuadendum. Tres codd., quamquam minoris notae, Theocriti nomen huic carmini adscriptum habent: huius tituli nullam fere esse fidem Fritzschio libenter concedo! Respondebo autem nunc singulis Fritzschii causis. Nullae in hoc carmine sunt »amoris partes«, quoniam, quod facile intellegitur, amores iuveniles omnino abhorrent a piscatoribus senibus, qui victum cotidianum et parcum laboriosi sibi acquirere studeant. — In quaestione autem de natura dialogi, quem Fritzschius ruralis carminis similitudinem affectare scripsit, suum quisque sequatur iudicium. Miratur tum Fritzschius, quod hoc carmen ita concluditur »ut admonitioni versuum extremorum vim quamdam moralem ad omnes mortales pertinentem de industria admixtam esse intellegas«. Non recte perspexisse videtur Fritzschius mimorum naturam: copiose enim proverbia vel sententias popularium animis accommodatas afferunt et dialogo large inserunt.[2]) Itaque quod in exitu huius mimi legitur sententia, qualem cotidie in viis publicis exaudire potes, praesertim cum id. XIV. quoque, qui et ipse est mimus, in sententiam generalem exeat, mihi quidem mirum non videtur. Fontanii verba, quae attulit Fritzschius[3]), praetermittenda esse censeo, cum eum, qui summam totius carminis ponat in piscatorum cena exili opinione praeiudicata ad carmen recensendum accessisse doceant. Descendit Fritzschius, cum causae

---

[1]) Ahrens. etiam idd. VIII et IX obelo confodit neque tamen in spuriis collocare ausus est, cum res ideo ad liquidum perduci non possit, cum ea carmina lacunis abundent (cf. Meinek.) et id. IX. solum prooemium spurium videatur esse (cf. Fritzsch. ed. m.). Non omni praeterea suspicione carere mihi videtur id. III, cum tanta intercedat similitudo inter hoc et id. XI, ut ne unum quidem versum invenias (exceptis exemplis ex mythologia petitis, quae largius inserta sunt), qui non imitetur vers. id. XI. — Cf. Gebauer. l. l. II. 1. p. 142.

[2]) Mimorum naturam longe optime exposuisse videtur mihi Otto Jahn ed. A. Persii Flacci saturar. lib Bonn 1843. p. CIII. seqq.

[3]) »Deux pêcheurs, qui ont mal soupé, sont couchés etc. . . . . Était — cela la peine de faire une idylle?« — Eam ob causam poeta inducit piscatorem οὐ πολύσιτον (vs. 40.) tam singularia somniantem, cum ea somnia revera eventura esse credebantur. (Artemid. de somn. 1. 8.): tecte igitur et facete designavit poeta piscatoris senis curam et timorem, ne laederet Neptuni vel Amphitritae numina.

sufficere ei non videantur, ad cavillationes: »miseram, inquit, supellectilem tanquam in tabula auctionaria ita in conspectu ponit (poeta), ut credas hunc terrae filium more hominis umbratilis istius modi piscatorum tuguria eo ipso consilio, ut haberet, quod enarraret et ad veritatem non gratam adduceret, adiisse et sedulo perlustravisse«. Sed hoc est idylliorum ut, sicuti pictores Batavi omnia atque adeo minutissima summa diligentia depingere solebant, etiam leviora omni cura diligentissimeque exposita et illustrata ostendant. Statim s legimus eos versus piscatorum tugurium exile oculis nostris obver satur animique ita componuntur, ut apud eos nos commorari et laborum curarumque socios et participes esse credamus [1]). Respicias reliqua idyllia: semper poetam commodissime nec tamen otiose vel frigide loca et conditiones depingentem invenies. Sescentae praeterea »tabulae auctionariae« in Homeri carminibus inveniuntur! Itaque non video cur cum Fritzschio [2]) hoc idyllium Theocrito abiudicemus; sermonis sane est genus humilius, sed recte Jac. Gering [3]): »quid enim, inquit, sublime nugantes loquerentur illi piscatores?« Summi certe poetae est, quod sermo homunculorum, quos confabulantes fecit, animis et conditionibus plane respondet: itaque, ut sit »sermo asper et spinosus« [4]), haec causa non esse potest, cur hoc carmen in spuriis collocemus [5]).

Etiam carmen XXIII. Ἐραστής inscriptum Meinekius recte Theocrito vindicavit: de codicibus, qui hoc carmen aperte Theocrito tribuant, cf. Ahrens. tom. I. p. 230. Copiose autem hoc carmen indignum esse Theocrito Reinholdius l. l. p. 58. seqq. comprobare studuit: scriptum esse vult »a versificatore, Theocritica lectitante, haud ingenioso, qui idyllium III., ad cuius similitudinem artem suam

---

[1]) Rectissime monuit v. d. Brunn l. infra l. poetam hoc carmen imagine inspecta composuisse: p. 9 . . . »wenn wir z. B. die vaticanische Statue eines alten Fischers (PCl III. 32) mit dem vergleichen, was über den Fischer auf diesem Gefässe (poculi id I.), was aber auch im XXI. Idyll über das ärmliche Leben der Fischer gesagt wird, so ist hier, was Poesie und was bildende Kunst darbietet, vollständig congruent«. al.

[2]) Comparat Platenii carmen »Die Schiffe auf Capri«; error est: scribendum erat: »Die Fischer auf Capri«.

[3]) »de stilo Theocr.« p. 27. affert Fritzsch.

[4]) E. Reinhold; de genuinis Theocriti carminibus et suppositiciis. Jenae 1819. p. 65.

[5]) Cf. etiam quae disputavit A. Wissowa l. l. p. 32.

dirigeret fortasse sibi propositum habuit«. Praeter alias autem hanc habet causam nobilissimam, quod desit »Siculi carminis vernaculus decor«. Causas quas protulit Reinholdius acerrime aggressus est Wissowa l. l. p. 27, ex cuius argumentatione elucet, Reinholdium rem suam, inprimis quod attinet ad causas a sermonis diversitate petitas, infecisissime egisse. Reinholdii opinionem suam fecit Fritzschius, qui nova undique conquisivit argumenta, quoniam Reinholdii labefactas esse vidit a Wissowa, cuius hoc quidem loco mentionem omnino non fecit. Sed ne una quidem ex Fritzschii causis apta est ad persuadendum. »Fabula, inquit, insulsa est, ne dicam ridicula«: haec iam dixerat Reinhold. Sed talibus causis, ut recte monet Wissowa, quae ex uniuscuiusque arbitrio pendeant, omnino nihil demonstratur; itaque cum Wissowa de venustate aut insulsitate carminis nil dicendum esse censeo: hoc tamen adiciendum videtur, quod huiusmodi fabulae apud veteres omnino vulgares et tritae erant, cf. Arist. de arte poet. cp. 9. extr. (p. 1452. a. 7): .... *τῶν ἀπὸ τύχης ταῦτα θαυμασιώτατα δοκεῖ, ὅσα ὥσπερ ἐπίτηδες φαίνεται γεγονέναι,* οἷον *ὡς ὁ ἀνδριὰς ὁ τοῦ Μίτυος ἐν Ἄργει ἀπέκτεινε τὸν αἴτιον τοῦ θανάτου τῷ Μίτυϊ θεωροῦντι ἐμπεσών.* Itaque nimis audacter Fritzschius Eberzii de hoc carmine opinionem adumbrans scripsit [1]: »Das klingt wie Romantik aus Anfang des 19. Jahrhunderts«.

Porro scripsit Fritzschius *παραίνεσιν* (v. 62. 63) ob quam scripta esset fabula, abhorrere a consuetudine Theocriti. At non illius admonitionis causa scripta est fabula, sed admonitio ex illa fabula evadit saepissimeque Theocritus, ut omnes poetae, ita versuum antecedentium summam in medium protulit: cf. XIV. 63. seq. 66. seqq. XVI. 108. seq. XXVI, 27. seqq. al. Similitudo deinde carminum Theocriteorum, quam investigavit Fritzschius, mihi quidem ipsum poetam, non aemulum designare videntur.

Adnotandum autem hic videtur, Reinholdium plane falso ea carmina in spuriis collocasse, quae carerent Siculi sermonis, ut eius verbis utar, decore vernaculo. Nam Theocritus, aevi Alexandrini alumnus praeclarus, latissima poeseos arva coluit: ob eam autem ubertatem, qua florebat totum illud aevum, excellens sine dubio non extitisset, nisi idem novi artis poeticae generis, bucolici dico, auctor

---

[1]) Cf. ed. in usum schol. Lips. 1869. p. 211.

felicissimus fuisset. Nam recte scholiasta, ut eo iam redeamus unde orsi sumus, scripsit: *περὶ δὲ τὴν τῶν βουκολικῶν ποίησιν εὐφυὴς γενόμενος πολλῆς δόξης ἐκ τούτων ἐπέτυχεν.* Itaque plane false v. d. Parthey[1]) »Daher geschieht es mit Unrecht, inquit, dass man den Theokritus wegen seines zeitweiligen Aufenthaltes in Alexandrien zu den Alexandrinern rechnet, denn wer hört es seinen lieblichen Naturdichtungen nicht an, dass sie in der Waldeinsamkeit der sikelischen Berge, unter dem milden Himmel von Syracus erblüht und gezeitigt sind, nicht in dem lauten Treiben des Welthafens, in der Sonnenglut der aegyptischen Wüste(??)?« At cf. idd. XV. XVI. XVII. XVIII. XXII. etc. coll. VII. 45—48. qui versus poeseos Alexandrinae summam pariter atque Callimachi notissimum illud *μέγα βιβλίον μέγα κακόν* exprimunt.

Carmini XXV. solus Ahrensius asteriscum appinxit, at recte nemo eum secutus est.

Restat genus epicum, ex quo sunt idd. XIII. XXIV. XXV., quae mea sententia omnia Alexandream sapiunt; id. XVIII. (Helenae epithalamium) classi cuidam asserendum, esse nego. (Cf. Hauler. l. l. p. 36. seqq.).

VI.

schol. *Θεοκρ. γέν. κατὰ γοῦν τινὰς Μόσχος καλούμενος [ὕστερον] Θεόκριτος ὠνομάσθη.*

Theocritus cognomine »*Μόσχος*« appellatus est: hanc scholiastae opinionem interpretes vario modo explicare studuerunt. Fritzschius quidem sententiam, quam olim protulerat in dissertatione de poetis Graecorum bucolicis (p. 31. seq.), servavit in editione mai. (p. 4. not. 3): scholiastae verba eo tempore scripta esse existimat »quo Moschi ac Bionis carmina cum Theocriteis collecta iam uno volumine comprehendebantur, neglectis autem auctorum nominibus eiusdem collectionis carmina modo ad eum, cui plurima debebantur, auctorem referebantur, modo diversis poetis tribuebantur«. Sed hac quidem re omnino non explicantur schol. verba *κατὰ γοῦν τινὰς κτλ. ὠνομάσθη*, quae schol. ex vetustioribus fontibus hausisse comprobant: si autem schol. propriam protulisset opinionem, quod plane negandum est, Moschum — Theocritum

---

[1]) G. Parthey: Das alexandrinische Museum. Berlin 1838. p. 154.

unum eundemque poetam statuere debuisset. Eodem praeterea iure schol. Theocritum cognomine Bionis vocatum esse statuere recte poterat. Itaque Fritzschii quidem explicatione ea schol. verba omnino non dilucidantur: tempore longe vetustiore orta est illa de Theocriti cognomine sententia.

Fritzschii autem opinionem suam fecit C. Hartung, qui »ea verba conflata esse« censet a schol., »qui cum videret nonnulla incerti auctoris carmina inscribi *Θεοκρίτου ἢ Μόσχου* litera *ἢ* neglecta recens poetae nomen sibi finxit«[1]). Sed idem schol., ut Hartungii opinionem sequamur, de Bioneorum quoque auctoribus (cf. e. c. epit. Adon.) dubitari vidit: cur tandem elegit cognomen Moschi; neglecta preterea litera *ἢ* Moschus — Theocritus unus poeta statuendus erat.

Schol. autem verba, uti leguntur, ita certe intellegenda sunt, ut Theocritum olim Moschum appellatum esse statuamus[2]); si Moschum poetam cognomine Theocriti exornatum esse intellegi possit, explicatio facillima esset haec: legebant grammatici Moschi carminibus *Μόσχου Θεοκρίτου* inscriptum; Theocriti autem nomen ideo adiectum esse, ut Moschum esse p o e t a m b u c o l i c u m[3]) designaretur, nesciebant; dein eo progressi sunt, ut Theocritum poetam Moschum appellatum esse statuerent. Sed fateor, hanc explicationem, cum difficultates omnes non tollat, ne mihi quidem arridere. Multo rectius statuere mihi videor, ut statim meam opinionem audacem nec tamen, uti spero, omni verisimilitudinis specie carentem in medium proferam, Theocritum et Moschum, qui vocetur poeta bucolicus, unum eundemque esse auctorem. Similem sententiam ante hos octoginta annos iam protulit Fr. Schlegel[4]), quam diu sopitam nunc novis defendam argumentis.

---

[1]) Carol. Hartung: Quaestiones Moscheae. D. I. Bonn 1865. p. 9.

[2]) Fabricius: bibliotheca graeca. vol. III. p. 766.

[3]) Rem simillimam adnotavit Otto Jahn (A. Persii Flaccii satirarum liber. cum schol. antiqq. ed. O. Jahn. Bonn 1843. prolegg. p. XXXI. not. 1.): »Quodsi hic (Calpurnius) in cod. Vind. vocatur T h e o c r i t u s C a l p h u r n i u s, comparandum videtur, quod in codd. quibusdam Persius nominatur P e r s i u s L u c i l l i u s, ut praeter Sg. 1 Bs. 2. in cod. Vindeb. chart. sec. XV. n. 224. 1. in Endlicheri catalogo.

[4]) Athenaei ephem. vol. III. 1800. p. 230, ubi sane scripsit Schlegel., Moschum poetam postea Theocritum (»Der Gotterwählte«) appellatum esse. Contra Wissowa l. l.

Atque si codices inspicis nihil invenies, quod revera opinioni illi repugnet. Nam libri manuscripti, qui exhibent carmina sub Moschi poetae nomine, adeo fluctuant de auctoribus, ut Ahrensius sola carmina *Εὐρώπη* et *Ἔρως δραπέτης* inscripta in Moscheis collocaverit: sed etiam de horum carminum auctoribus dubitari posse docet ea res, quod codd. r. mg. Im. mg. Europae capiti adscriptum habent *Θεοκρίτου* et quod idem cod. r. »Amorem fugitivum« et ipsum Theocrito tribuit. Itaque vides, praesertim cum etiam nonnulla carmina Theocritea Moscho tribuantur, recte Hartungium (l. l. p. 12.) scripsisse, codicum auctoritatem in quaestione de singulorum carminum auctoribus diiudicanda lenissimam esse. Et ne esse quidem potest, cum, quod infra uberius exponam, statuendum sit, Theocritum ab aequalibus Moschum appellatum deinde vero Moschum singularem poetam falso constitutum esse. Quod ante Stobaei aetatem factum iam esse elucet ex ea re, quod sola ea carmina quattuor, quae hic nobis servavit, singularem Moschum agnoscunt.

Iam accedamus ad alias causas. Suidas s.v. *Μόσχος* hunc Syracusanum appellavit: est autem ideo Syracusanus, quia Theocritus Syracusis natus est. Porro scripsit Suidas: *οὗτός ἐστιν ὁ δεύτερος ποιητὴς μετὰ Θεόκριτον, τὸν τῶν βουκολικῶν δραμάτων ποιητήν. ἔγραψε καὶ αὐτός,* ubi ex antecedentibus supplendum est *βουκολικά.* Et »Moschi« quidem carmina paucissima etiam antiquo tempore extitisse recte conclusit Fritzschius[1]) ex verbis conquisitoris veteris in Anthol. Palat. IX. 440: *οὔτε τὸν χρόνον καθ' ὃν ἦν ὁ Μόσχος γινώσκω οὔτε ποιήμασιν αὐτοῦ ἑτέροις ἐνέτυχον.* Quorum carminum nullum est e genere bucolico; ea quoque collectio, quam nos habemus, inter Moschea ne unum quidem carmen bucolicum habet: nihilo secius Suidas »Moschum« secundum poetam bucolicum vocat. Quomodo hoc discrimen solvendum est? Hartungius l. l. p. 4. tres simul nobis demonstravit vias: Moschus appellatus est bucolicus poeta aut quod Theocriti dicendi genus imitatus est, aut quia in patria bucoliasmi natus est, aut carmina eius bucolica

---

p. III. thes. III: »Egregie errant, qui cum Fr. Schlegelio Moschum et Theocritum eiusdem hominis nomina, Bionem autem illo antiquiorem fuisse contendant«.

[1]) de poet. Gr. bucol. p. 27. cf. schol. ed Ahrens. (vol. II.) p. 440. II.

perierunt. Quarum causarum sola tertia aliquid valet! Sed nonne mirum est, quod in collectione, quam nos habemus, ne unum quidem carmen bucolicum, contra nonnulla e genere epico, praesertim cum perpauca etiam antiquo tempore extiterint, »Moscho« tribuuntur? Ne ea quidem carmina, quae Stobaeus *ἐκ τοῦ Μόσχου βουκολικῶν* affert, bucolica sunt! Quibus igitur rebus commotus est nostrae collectionis auctor, ut »Moschum«, cuius nullum in medium protulit carmen bucolicum, poetis bucolicis adderet? Optime autem omnia sese habere videbis, si Theocritum et Moschum revera unum fuisse poetam, deinde autem ex uno duos poetas bucolicos factos esse et hunc errorem adeo inveteravisse, ut grammatici eiusdem auctoris alia Theocrito, alia Moscho tribuerent, statuimus. Quod alia re comprobatur. Suidas enim Theocritum etiam *ἡρωίνας* scripsisse testatur. Iam si inspicis Theocritea nullum invenies carmen quod eo nomine recte appellari possit. Haulerus quidem l. l. p. 19. Helenae epithalamium (id. XVIII.) heroinarum partem esse censet: sed hoc falsum est, quoniam veteres eo nomine cantilenarum nuptialium certum genus vocabant. Ne Berenicae quidem fragmentum, quod servavit Athenaeus (VII. p. 284. a.), heroinarum particula videtur esse, quia sine dubio Ptolemaei Philadelphi matrem divam similiter celebravit atque id. XVII. ipsum Philadelphum: erat hoc carmen ex encomiorum sive hymnorum genere. Carmina autem quae designavit Suidas sub Moschi nomine servata nobis sunt, dico carmina *Εὐρώπη* et *Μεγάρα* inscripta, quorum indoles ea est, ut recte appellentur *ἡρωῖναι*. Sunt haec carmina haud indigna Theocrito, immo carmen *Εὐρώπη* ex intima arte poetica depromptum est, ita ut cantilenam in Daphnidem moribundum omnino aequet.

Hic locus aptus mihi videtur esse, quo accuratius de Moscheis, quae vocantur, scribam. Ea quidem carmina cum Theocriteis, quae vulgo vocantur, comporanti recte Schlegelius (in Athenaeo l. l.) tibi videbitur scripsisse, in Moscheis nihil inveniri, quod ab arte Theocritea abhorreret [1]). Quod egregie, quamquam nolens, demonstravit C. Hartung. l. l., qui omnino id egit, ut propter sermonis similitudinem

[1]) »Auch in den dem Moschos beygelegten Gedichten und Bruchstücken ist nichts, was die eingebildete Verschiedenheit des Characters begründen könnte. Man müsste denn den Begriff von der Manier des Theocritos viel zu eng gefasst haben«. Athen. l. l. p. 230.

nonnulla carmina Theocritea Moscho vindicaret[1]: certe tanta est similitudo, ut hac quoque ratione Moschum et Theocritum eundem esse poetam comprobetur. — Iam ad singula accedamus. Praemonendum autem videtur mihi, codd. (cf. supra) de auctoribus adeo fluctuare, ut exceptis iis, quae solus Stobaeus nobis servaverit, nullum invenias carmen, quod non utrique, Theocrito et Moscho, adscribatur.

Atque primum quidem accuratius inspiciamus et examinemus carmen III., ut vulgo numeratur, Bionis cantilenam lugubrem, quam quidem Ahrensius in incertorum auctorum carminibus collocavit, quoniam tres codd. Theocr. (18. = Vat. E. Ziegl., Parisini D. et M.) *Θεοκρίτου*, cod. Mosch. Vd. (Caes. Brunck.) *Μόσχου ἢ Θεοκρίτου Σικελιώτου* (ἢ a sec. man. additum) adscriptum habent et sola Fulvii Ursini Romani editio aperte Moschum nominat auctorem. Itaque vides plane invalidas et fragiles esse causas a codicum auctoritate petitas, quibus commoti editores hoc carmen Moscho tribuerunt. Nihilo secius hoc praecipue idyllio nisi viri docti artis poeticae discrimen inter Theocritum et Moschum, quem appellant, constituere conati sunt.

Collocatum est hoc carmen, nam spurium esse copiosius comprobare studebo, in bucolicorum collectione, quod qui primi invenerunt auctorem se Bionis discipulum (vs. 96.) nominare viderunt. Atque cum praeterea Bionem hoc carmine summum artis bucolicae poetam celebrari legerent et tres esse poetas bucolicos (nam ex Theocrito Moscho duo poetae tum iam facti erant) pro certo haberent, alii Theocritum (nam lacuna ante vs. 93. ita Theocritum inducere potuit), alii Moschum statuisse videntur. Moschum autem Syracusanum non esse auctorem docet vs. 94, quo autor se Ausoniam patriam habere dicit[2]. Itaque anonymus quidam nec tamen indoctus

---

[1]) Gravis est Hartungii error, quod Suidam Theocritum composuisse carmina epica negare scripsit; cuinam generi adnumerandae sunt *Ἡρωῖναι, Προιτίδες κτλ* (cf. Hauler. l. l. p. 36.)? Ex versibus id. VII. 45. seqq. hoc tantummodo concludi potest, Theocritum contempsisse maiora carmina epica et fecisse cum Callimacho; *ἐπύλλια* certe ex illius aetatis ingenio erant. Praeterea autem reputandum est, Theocritum sib constantem sicuti olim Sterichorum »epici carminis onera«, ut Quinctilianum loquentem inducam, »lyra, vel potius bucoliasmo, sustinuisse«. —

[2]) C. Hartung. (Quaestt. Moscheae p 5.) »*Αὐσονικας ὀδύνας* vertit »ex Ausonia« et Moschum cum hoc carmen scriberet ibi habitasse coniecit: sed hoc fieri nequit, cum in antecedentibus semper poetarum patria (Theocriti quoque Syracusani) nominetur et, quod maxime urgendum est, autor hoc loco gravissimo illo

auctor huius carminis statuendus est: imitatur autem, si totam compositionem respicis, Theocrit. id. I., et Bion. id. I., ita ut ex utriusque poetae carminibus locos aptos conquirat et nugas doctas large immisceat. Itaque scytobrachionis cuiusdam centonem habemus, qui vero tumore singulari floret. — Iam singula inspiciamus.

Prooemium vss. 1—7. imitatur Bion. vss. 32. seqq 68: saltus, lacus, flumina, plantae, lucus, flores Bionis mortem maereant; rosae et anemonae rubescant, hyacinthus vocem lugubrem tollat: docte florum originem significat. Cf. Bion. I. 66. et XI. fragm. de Hyacinthi morte. Inepte autem dictum est *νῦν ῥόδα φοινίσσεσθε*, nunc rosae rubescatis [1]), quoniam rosae natura puniceae sunt neque veteribus tum albae rosae notae erant. — vss. 8—12. Lusciniae Arethusae fonti Bionem bubulcum mortuum esse nuntient: imitatur auctor Theocr. I. 114. seqq. — vss 13—18: Cygnii Strymonii maerore impleti puellis Oeagriis et nymphis Bistoniis Orpheum Doriensium vita decessisse narrent: sed unde sciverunt cygni? Ceterum auctori, cum luscinias et cygnos appellet, Theocrit. id. V. vss. 136. seq. obversati videntur esse. — vss. 19.—24: Bion gregum magister non amplius sub quercubus cantilenas edit, sed apud Plutonem »oblivionis carmen« canit: montes sunt muti bovesque propter luctum pasci nolunt: imitatur auctor Callim. epigr. 22. (Meinek.): *Ἀστακίδην τὸν Κρῆτα τὸν αἰπόλον ἥρπασε νύμφη ‖ ἐξ ὄρεος, καὶ νῦν ἱερὸς Ἀστακίδης. ‖ οὐκ ἔτι Δικταίησιν ὑπὸ δρυσὶν οὐκ ἔτι Δάφνιν ‖ ποιμένες, Ἀστακίδην δ'αἰὲν ἀεισόμεθα.* coll. Theocr. VII. 88. Plane autem insolenter dictum est *μέλος ληθαῖον*, carmen quod oblivionem affert, quale ex veterum de inferis superstitionibus explicari nequit. Expressisse videtur Theocrit. I. 62 et Bion. I. 50 seqq. — vss. 25—35. Dii pastorales et rurales lugent omnes; arbores propter tuam mortem fructus deiecerunt, flores evanuerunt (cf. Bion. I. 76.), oves lac non edunt, mel ob luctum nimium periit: nescio num quid tumidius inveniatur in literis graecis. Liberrime autem expressit auctor varios

---

αὐτὰρ ἐγώ τοι κτἑ. se ex A u s o n i a ortum Theocrito S y r a c u s i s nato opponat Cf praeterea quae idem (ut videtur) Hartungius disputavit in Philol. Gott. 1879 vol. 38. tom. 2. p. 357. Sicilia nomine »Ausonia« hoc loco certe non appellata est.

[1]) *φοινικοῦν* est puniceum (ponceau, coquelicot, nacarat), non purpureum; rosarum igitur v u l g a r i s color. Cf. Goethei. Materialien zur Gesch. der Farbenlehre. opp. ed. C. Prochaska. Leipz. Wien. Teschen 1873. vol. VI. p. 364.

locos Theocriteos, inprimis id. I. 66. seqq. coll. Bion. I 38. — vss. 36—48: Doctissime nec tamen facete ex tota mythologia conquirit fabulas, quae similia argumenta habent, ut demonstret, temporibus mythicis tantam maestitiam nunquam fuisse, quanta lusciniae et hirundines percussae in arboribus sedentes reliquas aves admonuerint, ut secum Bionis mortem quam maxime lugerent. Hanc quidem particulam ex suis addit auctor, quem igitur hominem cum doctum tum insulsissimum cognoscimus. Sed statim quasi timore adductus, ne paucioribus exprimeret exemplaria, ad imitationes redit. Nam quid aliud continent vss. 49—55. nisi pravam atque adeo foedam Theocrit. I. 125.—128 descriptionem! Deinde vss. 56—62. Theocrit. idd. VI. et XI. et Bion. II. 2. seqq. et XII. (quo poeta senex amicam celebrat) et vss. 63—68. Bion I. coll. V. VI. res breviter adumbrat. Sequitur tum Bione cum Homero comparato [1]) Graecorum poeseos lyricae brevis historia: autor autem eo ascendit, ut Bionem omnium summum et clarissimum esse contendat: poetae illius grandis se (*οὐ ξένος ᾠδᾶς βουκολικᾶς*!) esse discipulum ipsumque Musis carum modeste tum de se ipso addit: intellexisse non videtur se ex ea ratione proxime ad Pindarorum ordinem accedere! Annectit vss. 98—107. de vita humana considerationem inanem et satis futilem (fortasse respexit Bion. VII.): nos, inquit, qui sumus m a g n i , f o r t e s, s a p i e n t e s, ubi primum vita decessimus, ex terrae gremio nunquam resurgimus! Quae deinde addit de ranis male canentibus Theocrit. id. VII. 38. seqq. sapiunt, quorum sententiam insulse immutavit. Coniectura de Bionis morte in medium prolata (108—114.) optare se, inquit, ut sicut olim Orpheus, Ulixes, Hercules ad inferos descendere possit Bionem apud Plutonem canentem auditurus. Adhortatur tum Bionem mortuum, ut Proserpinam quoque Siculam (cf. Bion. I. 97. seq.) cantu bucolico delectet, eam enim sine dubio, sicut Orpheo Eurydicam, ipsum montibus Siculis reddituram esse. *εἰ δέ τι κἠγών* || *συρίσδων δυνάμαν, παρὰ Πλουτέι κἀυτὸς ἄειδον.*

Hoc est argumentum carminis, quod cum longe abest ab exemplarium (si compositionem et elocutionem respicis) candore et

[1]) Vs. 80. tecte Homeri et Hesiodi certamen fabulosum significare videtur; Bion igitur, cum Hesiodus victoriam reportaverit, ex auctoris opinione et ipse Homerum paullulum superat; vs. 81. seqq. rursus Theocrit. id. I. XII. 30. seqq. et Bion. id. I. significavit!

venustate, tum hymnorum Callimacheorum tenuitatem omnino superat. Sapit hoc idyllium hominem quendam valde doctum et fabulas vetustas et literas graecas sedulo perlustrantem et peragrantem, quibus recte abstinuerunt Theocritus et »Moschus«: cum Moscheis, hoc pro certo affirmare velim, quorum unumquodque omne fert punctum, hoc carmen nil commune habet.

Quaeramus nunc de »Amore fugitivo«, cuius argumentum et sermo Theocritum auctorem statuere nos non vetat: de codd. cf. ed Ahrens. et Fritzsche. (ed. mai, arg. Theocr. id. XIX.). Oblocutus autem est Fritzschius in argumento Theocr. id. XIX., ubi discrimen grave intercedere scripsit inter Amorem, qualem sibi finxisset Theocritus (*βαρὺν θεόν* III. 15.) qualemque Bion et Moschus: Amorem Theocriteum esse deum severum et gravem, Bioneum et Moscheum puerum blandum, levem, audaculum. Theocritum vero eam legem, ut Amorem induceret semper *βαρὺν θεόν*, sibi non constituisse, docet statim exordium id. XIII: *οὐχ ἁμῖν τὸν Ἔρωτα μόνοις ἔτεχ᾽, ὡς ἐδοκεῦμες,* ‖ *Νικία, ᾧτινι τοῦτο θεῶν ποκα τέκνον ἔγεντο* [1]) (c. scholl.), ubi igitur ipse quoque Amorem puerum levem inducit. Praeterea hoc quoque aliquid valet, quod Theocritus variis locis (cf. VII. 96. 117. XII. 10. XV. 120. XVII. 51.) Amorum levium seduloque hominum animos sagittis perfodientium sicuti Bion et Moschus mentionem fecit: ne Bion quidem semper Amorem talem inducit, qualem vult Fritzschius, cf. carmm. IV. (Ahr. VIII.) et XIII. (Ahrens XVII.), quibus deus severus et potentissimus describitur. Itaque ea regula, quam vult Fritzschius, revera non exstat; pendet Amoris natura ex singulorum idylliorum ratione: tum puer levis, tum deus gravis est Quod autem ad elocutionem et compositionem huius carminis attinet equidem non video quidquam extare, quod revera a Theocriti, poetae Alexandrini, genere abhorreat.

De carminibus Europa et Megara Theocriti heroinis asserendis supra actum est.

Iam accedamus ad ea carmina, quae Stobaeus [2]) *ἐκ τῶν Μόσχου βουκολικῶν* nobis servavit, quorum nullum esse e genere bucolico unusquisque videt. Atque carmina quidem V. (ut vulgo numeran-

---

[1]) »Cui hic puer natus est.«

[2]) Unum servavit Anthol. Pal. cf. Ahrens. ed. vol. I. de carmm. inscriptionibus.

tur), quo pinus de se loquens inducitur, et VII., quo de Alpheo Syacusis aquas summittente agitur, elegiarum colore praedita sunt, sed cum mutila videantur esse, non perspicitur, cuius generis sint. Carmen VI. de Echo et Lyda, Panis amicis, poeseos Alexandrinae specimen singulare, epigrammatum servat indolem; carmen VIII. epigr. est in Amorem arantem. Addi solent tres versus, de quibus omnino nil constat.

Iam summam eorum, quae adhuc disputavi, in medium proponam. Theocritus ab aequalibus *Μόσχος* appellatus est, ut designarent carminum bucolicorum auctorem: ut hoc cognomine eum appellarent commoti sunt ipsius versibus, e. g. his:
IX. 7. (6. Mein.): *ἁδὺ μὲν ἁ μόσχος γαρύεται, ἁδὺ δὲ χἀ βῶς, ἁδὺ δὲ χἀ σῦριγξ, χὠ βουκόλος, ἁδὺ δὲ κἠγών.*

Amantissimum autem fuisse aevum Alexandrinum talium cognominum alia exempla demonstrant. Syringis [1]) enim auctor (Simmias) vs. 12. appellat Theocritum — Simichidam (cf. id. VII.) »Paridem«, quo sine dubio nomen *Θεο — κριτος* facete explicavit, quasi esset arbiter dearum de pulchritudine certantium (*θεο·κριτος*). Quo cognomine praeterea Theocriti naturam amoribus certe proniorem videtur designasse: nam in idylliis amores partes multiplices inveniuntur et Callimachus epigr. 52. (Meinek.) ipsum poetam, ut videtur, appellat *τὸν τὸ καλὸν μελανεῦντα Θεόκριτον* quasi puerum amatum vel amoribus proniorem.[2]) Aliud exemplum no-

---

[1]) Cui semper decrescit arundinis ordo
Et calamus cera iungitur usque minor. Tibull. II. 5.
Cf. Fabricius, bibl. gr. III. p. 774.

[2]) Commotus est praeterea Callimachus, ni fallor, ut Theocritum hoc epigr. ita appellaret, ea re, quod adolescentes Coenses formosissimos esse vulgaris erat opinio; cf. Athen. I. 15. b. *Δαμόξενος γοῦν φησι.....*

θεοὺς γὰρ φαίνεθ' ἡ νῆσος φέρειν,

....

ἥτ' εὐρυθμία τό τ' ἦθος ἡ τάξις θ' ὅση
ἐν τῷ τι πράττειν ἢ λέγειν ἐφαίνετο,
πέρας τι κάλλους, ἄνδρες· οὔτ' ἀκήκοα
ἔμπροσθεν οὔθ' ἑόρακα τοιαύτην χάριν.
κακὸν ἄν τι μεῖζον ἔλαβον, εἰ πλείω χρόνον
ἔμεινα· καὶ νῦν δ' οὐχ ὑγιαίνειν μοι δοκῶ, videtur Con se contulisse hi qui loquitur, ut medicos celeberrimos consuleret.

bis praebet Apollonii Rhodii cognomen Ibis (Suid s. v. *Καλλίμ* . . . . *ἔστι δὲ ποίημα ἐπιτετηδευμένον εἰς ἀσάφειαν καὶ λοιδορίαν, εἴς τινα Ἶβιν, γενόμενον ἐχθρὸν Καλλιμάχου.* Cf. Weichert. l. l. §§ 11. 12.), quod alii alio modo explicare studuerunt.[1]) Aptissimam explicationem mea sententia protulit v. d. Couat, qui Callimachum ideo Apollonium sic appellasse censet, quod Apollonius multos locos Callimacheos imitando [2]) expressit. Praeterea respicias Eratosthenis cognomen *Βῆθα* ideo datum, quod (ut vulgarem sequar explicationem) nullius literarum generis princeps, aut quod studiosissimus erat literarum [3]),- Apollonii Scytobrachionis, quod pannis purpureis undique conquisitis opera condidit. Maxime autem floruisse hoc cognominum genus haec praeterea exempla docent: Melesigenes — Homerus, Tisias — Stesichorus, Aristoclees — Platon et sim.

Theocriti carmina bucolica (quibus exellens extitit ita ut in Pleiadem reciperetur) vivo etiam poeta a grammaticis Alexandrinis collecta esse epigr. l. vs. ult: *μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔτιν' ἐφειλκυσάμην* comprobari supra scripsi: ea sine dubio r e c t o poetae nomine denotata erant: quo factum est, ut codd. carmina b u c o l i c a omnia T h e o c r i t o adscribant neque inter Theocritum et Moschum fluctuent. Praeterea autem vulgo legebantur alia Theocritea (non dico bucolica, ea enim a grammaticis Alexandrinis recto nomine appellata iam erant), quae in collectionem Alexandrinam recepta non erant; ea vulg. designabantur *Θεοκρίτου Μόσχου* (quae inscriptio bis invenitur, cf. Ahrens. ed.; epit. Bionis *ἢ* a sec. manu superscript. habet), vel *Θεοκρίτου,* vel *Μόσχου* (haec pauca fuerunt, cf. Anthol. Pal. IX. 440. cf. Fritzsch. de poet. Gr. bucol. p. 27. Ahrens. ed. vol. II. p. 440. II.): quo factum est ut cum ex uno Theocrito Moscho duo iam facti essent poetae, et Moschus quidam S y r a c u s i s o r i u n d u s in

[1]) Cf. A. Couat. la querelle etc. p. 23. seqq. c. nott.

[2]) Couat. l. l. p. 27 seq.: »Nous pensons, cependant, qu'il ne faut pas aller si loin, et que si, selon l'analogie et la vraisemblance, la querelle littéraire des deux poëtes explique le mot de Callimaque, celu-ci a dû dans l'Ibis comme dans res autres épigrammes, reprocher à Apollonius le style de son poëme, les imitations et les larcins dont il s'était rendu coupable. Or, l'Ibis était un oiseau cousacré à Mercure, Dieu des voleurs . . . . . . Peut-être avait-il imité de très-près le second livre des Aitia , et pris à Callimaque beaucoup de détails du voyage des Argonautes«.

[3]) Indicavit Parthey. l. l. p. 53. n. 1. qui vocem Aegypt. Bajeth i. q. *ψυχὴ καὶ καρδία* comparat et alia exempla affert.

poetis bucolicis numeraretur (tantum igitur valuit Theocriti Syracusani, qui eo cognomine ab aequalibus appellabatur, auctoritas), neque ullum Moscho adscribi posset carmen bucolicum.

Artemidorum grammaticum (floruit ultimo semisaeculo a. Chr. n. cf. Ahrens.. vol. II. p. XXXVIII.) primam idylliorum editionem publici iuris fecisse constat: edidit non solum bucolica, quae Alexandreae asservabantur, sed etiam omnina quae passim legebantur (nam Theocritum occasionibus datis carmina edidisse docent idd. VI. XI. XIII. XV. XVI. XVII. XXVIII.); hoc indicat epigr.: *Ἀρτεμιδώρου τοῦ γραμματικοῦ ἐπὶ τῇ ἀθροίσει τῶν βουκολικῶν ποιημάτων.*

Βουκολικαὶ μοῖσαι σποράδες ποκά, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας.,

quo ideo appellat »Musas bucolicas«, quod Theocritus »poeta bucolicus« sollemni usu appellabatur. Cum vero saepius inscriptioni »*Μόσχου*« occurreret, ipse, id Theocriti cognomen fuisse ignorans, primus (ut videtur) Moschum poetam bucolicum eo facilius constituit, quod saeculo fere post Theocritum Moschum grammaticum, Aristarchi *γνώριμον,* Alexandreae vixisse certe sciret.[1]) Servavit hanc sententiam Servius, Vergilii interpres (prooem. Verg. buc. p. 95. Lion.): ,,.... ut imitetur Theocritum Syracusanum, meliorem Moscho etc.«: certe! nam optima Theocriti Moschi carmina (scilicet bucolica), quorum candorem perpauca eorum, quae sub »Moschi« nomine latebant, aequabant, a bibliothecae Alexandrinae custodibus doctis recto poetae nomine denotata erant.

Coniecturae meae aliud favet argumentum: Marianus enim Suida teste *μετάφρασιν Θεοκρίτου ἐν ἰάμβοις ,γρν'* (i. e. 3150) composuit. Iam recte monuit Hauler. (l. l. p. 33.), Mariani metaphrases numero versuum breviores quam auctorum opera fuisse. Arati enim Phaenomenorum et Diosemeorum metophrasis Mariana 1140 continuit versus, carmen ipsum 1154 versus; Apollonii Rhodii Argonauticorum metaphrasis 5608 versus, carmen ipsum 5835 vss.; Nicandri Theriacorum et Alexipharmacorum metaphrasis 1570 (lego c. Bergk. *,αφο'* pro *,ατο'* Suid.), carmen ipsum 1588 vss. Iam si Ahrensium sequeris 2355, si Meinekium 3066., si Fritzschium 2904 versus Theo-

[1]) Scripsit *Μηχατικά, ἐξήγησιν Ῥοδιακῶν λέξεων,* al. cf. de eo Fabricius, bibl. gr. vol. III. p. 806. seq.

criti Moschique servati nobis sunt: omnino leguntur ad 3204, ego »Moschi« epit. Bion. et cum Meinekio Theocr. idd. XIX. XX. XXVII (omitto epigrammata) in subditiciis collocavi, ita ut 2953 versus Theocriteos Moscheosque retinerem, quem utrumque numerum (nam quamquam nonnulla carmina mutilata videntur esse tamen non tam multi versus interciderunt, cum eorum carminum, quae coll. Suid. inter Theocrita desiderantur, pars in »Moscheis« legatur et reliqua quae perierunt magnum ambitum habuisse non videantur. Cf. etiam Hauler. l. l. p. 31 seqq. — Respicias quaeso inprimis eum numerum quem ego cum Meinekio statui!) bene quadrare vides ad Mariani metaphrasim (3150 vss.), quam breviorem fuisse recte Haulerus scripsit [1]).

Etiam Stobaeus *ἐκ τῶν Μόσχου βουκολικῶν* affert carmina: quamquam ne unum quidem est bucolicum; tantum enim semper valuit Theocriti Moschi auctoritas, ut etiam is, qui hoc cognomine appellaretur, esset p o e t a b u c o l i c u s.

Suidas autem censet bucolica tantummodo esse Theocriti: alios alia ad eum referre. Designavit certe bucolicorum canonem Alexandrinum, de quo supra egimus. Vulgarem vero opinionem secutus ipse quoque Theocritum primum, Moschum secundum poetam bucolicum fuisse statuit. Vitae autem Theocriteae, quam legimus in prolegg., auctor sive is, ex cuius libro hausta est, re accurate perpensa *Μόσχος* esse Theocriti cognomen recte intellexit.

Haec est mea de »Moscho« coniectura: coniecturam dico, cum talia ab omnibus partibus confirmari nunquam possint. Si quid veri investigavero, quod diiudicabunt ii penes quos est arbitrium, vel maxime gaudebo, *οὐδὲ γὰρ ἄνευ σμικρῶν τοὺς μεγάλους φασὶν οἱ λιθολόγοι λίθους εὖ κεῖσθαι.* (Plat. legg. 10. p. 902. d.).

II.

De singulis Theocriti carminibus.

I. De idyllio XXVI.

Accedamus nunc ad Theocriti idyllium XXVI. in Bacchi honorem conscriptum. Cuius carminis fatorum conspectum praebet

[1]) Ex hac igitur ratione perierunt ad 200 versus Theocriti »Moschi«.

Fritschius in argumento ed. mai. p. 204. Eichstadtius enim (adumbr. quaest. de Theocr. carmm. indole p. 45.) cum Reinholdio, qui eius vestigia premere solet (de genuin. Theocr. carmm. p. 58.), hoc carmen ut Theocrito indignum obelo confodit. Wissowa autem (l. l. p. 32.), Reinholdii adversarius acerrimus, carminis genuitatem defendit ab horum virorum impetu recteque monuit eos »declamationibus, non argumentis« pugnare. Ipse tum protulit sententiam, carmen fortasse esse maioris ἀποσπασμάτιον. Hanc sententiam suam fecit Fritzschius (de poet. gr. buc p. 25.), quam vero, »nam dies diem docuit« in ed. mai. a. 1870. recte reiecit. Asteriscum carmini apposuit Ahrens. nec tamen eo processit, ut carmen in incertorum loco collocaret; Meinekius quoque carmen Theocriteum esse censet. At nunc extitit G. Knaack., qui hoc carmen eam solam ob causam, quod[1]) »ex aperta Callimachi (in Del. 98.) imitatione, quae inest versui 30., Wilamowitzius collegit poema non Theocriti esse sed imitatoris«, ipse quoque carmen Pseudotheocriteum esse censet. Doleo quod Knaack. locum, ubi v. ill. Wilamowitz. id statuit, non indicavit: equidem non inveni. Fortasse autem hoc quoque Knaackio, quoniam multa (cf. dissertat. pgg. 2. not. 2. p. 18. p. 24. n. 34. p. 26. et n. 35. etc.), occasione data indicavit. Neque enim credibile mihi videtur, Wilamowitzium virum sagacissimum et cautissimum talia publici iuris fecisse: est enim coniectura, quam protulit Knaackius, audacissima et plane respuenda. Nam unde concludi potest, cum poetae aequales essent, Theocritum Callimachum imitatum esse?[2]). At sit Theocritus imitator? num inde sequitur totum carmen, cum unum versum ex Callimacheis fortasse sibi sumpserit, non esse Theocriti? Ignorare videtur Knaackius, complures locos in Theocriti carminibus extare, qui Callimacheorum simillimi sint raroque uter sit imitator enucleari posse. Praeterea autem ex hac ratione Knaackio statuendum erat Ovidii (quem Theocr. id. XXVI imitatum esse censet) Metamorph. de Penthei morte particulam non esse ipsius Ovidii sed imitatoris!

---

[1]) G. Knaack: Analecta Alexandrino-Romana. D. I. Gryphiswald. 1880. p. 58 n. 81.

[2]) Sunt hi versus:

Callim. in Del. 98: οὐδὲ Κιθαιρών ‖ ἔσσεται· εὐαγέων δὲ καὶ εὐαγέεσσι μελοίμην.

Theocr. XXVI. 30: αὐτός τ' εὐαγέοιμι καὶ εὐαγέεσσιν ἅδοιμι.

Knaackius igitur Theocrito hoc carmen non eripiet: recte autem collegit locos, quorum partem Fritschius iam adnotaverat, ex quibus elucere videtur, Theocriti carmen Ovidio fuisse exemplar [1]).

Quibus praemissis iam ad aliam quaestionem transeamus. Ea enim quae Greverus et alii[2]) de idylliorum argumentis iam disputaverant vel potius divinando assecuti erant luculentissime et sane felicissime demonstravit Brunnius: [3]) scilicet poetas bucolicos saepissime imaginibus et artificum operibus inspectis carmina composuisse[4]). Tali autem opere Theocritum adductum etiam carmen XXVI. composuisse recte conclusit Brunnius ex vss. 22 seqq:

Ἰνὼ δ᾽ἐξέρρηξε σύν ὠμοπλάτᾳ μέγαν ὦμον
λάξ ἐπὶ γαστέρα βᾶσα, καὶ Αὐτονόας ῥυθμὸς ωὑτός·
αἱ δ᾽ἄλλαι τὰ περισσὰ κρεανομέοντο γυναῖκες,

quae verba ita electa et composita sunt, ut statim poetam imaginem describere, non propria imaginatione compelli censeas. Imago autem, quam illustravit Theocritus, mea opinione erat haec. Alteram partem explebant duodecim arae *ἐν καθαρῷ λειμῶνι* (vs. 5.) cum cista mystica (vs. 7.) et instrumentis bacchicis, quae Agaue *σὺν δ᾽ἐτάραξε ποσὶν* ..... *ἐξαπίνας ἐπιοῖσα* (vs. 13.); in altera parte collocata erat rupes cum arbore de qua Pentheus orgia inspexerat. Medium et principalem imaginis locum tenebant Ino et Agaue furibundae, quae ab utraque parte Penthei corpus dilacerare studebant:

---

[1]) p. 60. scripsit Knaack: »idem (Ovidio hoc carmen exemplar fuisse) sed dubitanter monuit H. Fritzschius in ed. Theocriti. qui vero explicatius, ut sane necesse erat, ea de re dixit, ego novi neminem«. Scripsit Fritzschius: »Ovidium imitatorem non sine veri specie dixeris coll. adn. ad v. 5. 20. 12«. Veri speciem ne Knaackius quidem, quamquam »explicatius dixit« auxit!

[2]) Greverus: Kleine Beyträge. p. 9. de poculo id. I: »So plastisch konnte nicht Homer, nur Theokrit über Plastik reden, er, der zu Syrakus lebte, wo eine solche Menge von Kunstwerken sich befand etc.«. O Jahn: Pentheus und die Maenaden. Kiel 1841. p. 21. Helbig: Untersuchungen über die camp. Wandmal. p. 225. seqq. de Europa Moschea in tauro considente. Meineke ad I. 32. Philol. Gotting. 1871 p. 96.

[3]) »Die griech. Bukoliker und die bildende Kunst« in »Sitzungsber. der philos.-philol. u. hist. Classe der k. b. Akad. d. W. zu München« 1879. Bd. II. Heft I. p. 1. seqq.

[4]) Cf. p. 20! »die sinnliche Anschaulichkeit, mit welcher die Gestalten im Bilde dem Dichter entgegentraten, forderte diesen auf, dem stummen Bilde Sprache und Bewegung zu verleihen und mit denselben Mitteln, wie bei der Schilderung der Natur mit der Wirklichkeit, so hier mit der Kunst in Wetteifer zu treten«.

coronam efficiebant sociae reginis subministrantes, qua de causa poeta earum brevem fecit mentionem. — Talis sine dubio imago erat, quam Theocritus ut poeta hoc carmine descripsit: utitur autem hoc artificio, ut quo vividiorem praebeat lectori aspectum binis versibus thiasum montem ascendentem (1—2.) et Pentheo interempto Thebas redeuntem (25—26.) inducat, nam qui intercedunt versus imaginis descriptionem continent. Mirum autem est, quod in hisce quattuor versibus apertae Euripidis insunt imitationes. Secundum enim carminis versum compilavit ex

Eurip, Bacch. 103. (115.): *Βρόμιος εὖτ' ἂν ἄγῃ θιάσους εἰς ὄρος, εἰς ὄρος* (coll. vs. 148. (164.)

et 680: *ὁρῶ δὲ θιάσους τρεῖς γυναικείων χόρων*

versum 26. petivit ex

Eurip. Bacch. 367: *Πενθεὺς δ'ὅπως μὴ πένθος εἰσοίσει δόμοις τοῖς σοῖσι, Κάδμε.*

Alios praeterea Eurip. Bacch. locos adnotavit Fritzschius, quos Theocritum imitatum esse videtur putasse. Sed hoc equidem negaverim, cum per se intellegatur, poetis easdem res eiusdem fabulae similibus enarrandas esse. Itaque (coll. Fritzsch. adnott. et Knaack. l. l.) Euripidi pauca Theocritus [1], Theocrito plurima Ovidius [2]) debere videtur.

Imaginis descriptione ad finem perducta ea quae sentit poeta affectusque quos iniecit imago inde a vs. 27. copiose describit. Quo factum est, ut carmen hymni colorem et indolem acciperet. Idem autem nostra quoque aetate persaepe invenire possumus. Inspicias enim descriptiones imaginis cuiusdam, quam artifex quidam summus officinae valvis apertis hominum artis peritorum iudicio proposuit: leges primum quidem imaginis accuratam descriptionem, deinde affectus quibus qui viderunt percussi sint adumbratos invenies.

---

[1]) Ne hoc quidem ab omni parte confirmari potest, nam et figura verborum *Πενθεύς* — *πένθος* usitatissima erat (cf. Aristot. Rhetor. II. 23. p. 1400. b. 24: *Πενθεὺς ἐσομένης συμφορᾶς ἐπώνυμος.* Huc facit etiam L. Lersch: Die Sprachphilosophie der Alten. Theil 3: dargestellt an der Geschichte ihrer Etymologie. Bonn. 1838. 1840. cf. caput quod inscriptum est: Die Dichter als Etymologen.) et fabula ipsa mulieres in Cithaerone monte sacra egisse et caede peracta una cum Penthei cadavere in urbem rediisse exhibebat.

[2]) Ovidius expressit Theocritum in Metamorph. 511—733.

Hoc idem in carmine de quo agimus patet persuasumque tibi certe erit, Theocritum imaginem quandam celeberrimam descripsisse, si ea quae Lessingius de ratione quae intercedat inter poetam et pictorem eandem rem describentes doceat in animum revocaveris.

Recte autem Brunnius monet, cum fabulae quas pertractent poetae bucolici etiam a pictoribus aequalibus descriptae inveniantur, manifestum esse poetas earum praecipue imaginum res, quae propter argumenti novitatem sive artis praetantiam sive alias causas inclaruissent popularibusque largam confabulandi materiam praebuissent, carminibus descripsisse.[1]) Atque plurimum sine dubio homines Alexandrini disputabant et confabulabantur ea aetate de rebus Bacchicis, cum rex Ptolemaeus Philadelphus post parentum mortem pompam Bacchicam splendidissimam illam duxisset. Eam huic quoque carmini Theocriteo res suppeditavisse equidem coniecerim. Concedendum sane est Athenaeum (p. 197. c. seqq.), qui pompae descriptionem nobis tradidit, de Penthei fabula nihil afferre. Sed res eo explicanda est, quod Callixenus, ex cuius libello *περὶ Ἀλεξανδρείας* Athenaeus pompae descriptionem petivit, ea tantummodo descripsit, quae auro vel argento efficta memoratu digna esse ipsi videbantur.[2]) Eam igitur ob causam Callixenus imaginis illius mentionem non fecit. Penthei autem fabulam omissam non esse facile intellegitur, quod ex nobilissimis Bacchicis est et pompa *οἰκείαν . . . τῆς περὶ ἑκάστων αὐτῶν* (deorum) *ἱστορίας διασκευήν* praebebat. Monendum autem videtur mihi pompam illam fuisse omnium deorum, non solius Bacchi, quod quidem non satis ursit Kamp. l. l. Ita enim refert Athenaeus l. l: *πρώτη δ᾽ ἐβάδιζεν* (*ἡπομπὴ*) *Ἑωσφόρου· καὶ γὰρ ἀρχὴν εἶχεν ἡ πομπὴ καθ᾽ ὃν ὁ προειρημένος ἀστὴρ φαίνεται χρόνον. ἔπειθ᾽ ἡ τοῖς τῶν βασιλέων γονεῦσι κατωνομασμένη. μετὰ δὲ ταύτας αἱ τῶν θεῶν ἁπάντων, οἰκείαν ἔχουσαι τῆς περὶ ἑκάστων αὐτῶν ἱστορίας διασκευήν. τὴν δὲ τελευταίαν Ἑσπέρου συνέβαινεν εἶναι, τῆς*

---

[1]) Brunn. l. l. p. 19: »Wenn wir nun die behandelten Mythen gerade in Kunstdarstellungen wiederfinden, die sich ungefähr auf die Zeit der Dichter zurückführen lassen, so leuchtet ein, dass die letzteren ihre Anregung bei Werken holten, die unter ihren Augen, in ihrer Nähe entstanden, die den Reiz der Neuheit hatten und das Tagesinteresse des Publicums bildeten«. cf. ibid. p. 10.

[2]) Cf. Jos. Kamp: De Ptolemaei Philadelphi pompa Bacchica D. I Bonn. 1864. p. 4.

ὥρας εἰς τοῦτον συναγούσης τὸν καιρόν. τὰ δὲ κατὰ μέρος αὐτῶν εἴ τις εἰδέναι βούλεται, τὰς τῶν πεντετηρίδων γραφὰς λαμβάνων ἐπισκοπείτω. τῆς δὲ Διονυσιακῆς πομπῆς πρῶτοι μὲν προήεσαν κτλ., ex quibus elucet pompam Bacchicam particulam fuisse totius. Quod igitur pompam vocamus Bacchicam eo tantummodo defendi potest, quod eius solius descriptio servata nobis est.

Acta est haec pompa ex Drumanni sententia, quam probavit Ruehl [1]), brevi post a. 277. a. Chr. n. itaque recte concludere mihi videor, cum etiam idyllii elocutio denotare videatur poetam adolescentem et discentem [2]), ipsum id. XXVI. brevi post illum annum scriptum esse. Porro inde haud audacius concludere possumus, Theocritum insula Co relicta, urbis splendore et gloria commotum Alexandream se iuvenem contulisse ibique diutius habitasse. Cf. etiam infra de id. VII.

Vss. 30. seqq. regem Philadelphum Bacchi numinis cultorem frequentissimum laudare videntur: verbis enim *εὐσεβέων τὰ λώια* designatur Ptolemaei II. potentiae incrementum, quod igitur praemium pietatis ergo deos esse vult poeta. Instauravit autem rex Ptolemaeus Philadelphus eam ob causam deorum illam pompam tam splendide, ut parentes in deorum numero collocatos esse aperte designaret. Itaque omnes deos prodeuntes fecit, ut quasi populo demonstrarent, eorundem honorum participes esse regis parentes. Bacchi autem pompam fuisse nobilissimam facile conieceris ex ea re, quod Athenaeus eam solam copiosius descripsit. Commovit regem, ut eam tam splendide exornaret, quod Aegyptii Bacchum propter fatorum similitudinem eundem esse atque Osirim [3]) lubenter credebant, commovit etiam, quod cum Aegyptiis Osiris carissimus tum Graecis

[1]) Cf. Drumann: Histor.-antiqu. Untersuchungen über Aegypten oder die Inschrift von Rosette. Königsb. 1823. p. 15. — Rühl: Der Schatz des Ptolem. II. Philad. in Fleckeisen. annal. 1879. p. 627. n. 18. — Cf. etiam S. Sharpe: Gesch. Aeg. von der ält Zeit bis zur Eroberung durch die Araber. Deutsch bearbeitet von H. Jolowicz. Revid. und bericht. von A. v. Gutschmid. 2. Ausg. 1862. vol. I. p. 188. Kamp. l. l. p. 6.: ».... conligendum esse censeo, parentes iam esse mortuos«. Ed. Lübbert: Alexandria unter Ptolemaeus Philadelphus und Euergetes. Kiel 1880 p. 7.

[2]) De vs. 27 seqq. plane assentior Meinekio.

[3]) Cf. Drumann. l. l. p. 144 Serapim eundem esse atque Jovem-Plutonem a Sinopensibus maxime cultum credebant; cf. Ed. Lübbert. l. l. p. 5 seq. Droysen. l. infra l. p. 47.

Bacchus gratissimus erat deus, quippe qui res secundas et adversas sicut homo sustulisset. Haec certe causa commovit etiam Pisistratum, cum Bacchi cultum augeret et dei statuam publicam ad sui similitudinem confici curaret, ut ita dominationem suam confirmaret. (Athen. XII. 533. c.).

II. De idyllio VII.

Quanta idyllii VII. pulchritudo, quanta omnium quae eo narrantur venustas, tanta obscuritas tantaequae tenebrae sunt, quae ei obsistunt, qui ubi agantur res, qui sint viri, qui in eo prodeant, quando sit scriptum carmen a Theocrito quaerat. Rectissime enim Heinsius (lect. Theocrit. p. 335.) omnium eclogarum hanc septimam esse reginam est »lacteam, quovis melle dulciorem«, scripsisse tibi videbitur, cum quanto amore insulam Con, quae eius iuventutem, amicorum consuetudinem carissimam, auream illam vitae aetatem viderat, Theocritus celebret, quanta laetitia eorum amorem mutuum, qui a prima iuventute amicitiae vinculo artissime coniuncti erant, describat, quantam denique totum carmen spiret hilaritatem, attento animo perceperis. Sed eum totius carminis splendorem hoc loco describere et explicare in animo mihi non est: quaerere mihi proposui, possintne tenebrae quas dixi aliquo modo revolvi et repelli.

In quaestione autem de loco, ubi agantur res, equidem cum scholl. faciendum esse censeo, qui testimoniis large allatis insulam Con designaverunt: cf. praeter *ὑπόθ*. schol ad vs. 1: *Ἀλεὺς ἢ δῆμος τῆς Κῶ* . . . . . *ἢ τόπος ἐν Κῷ*. ad vs. 5. vs. 6. Burinna fons insulae Cois clarissimus, quem nostra aetate invenit L. Ross. [1]), nominatur. ad vs. 10: *ὁ Βρασίλας Κῷος*. ad vs. 46: *Ὠρομέδων ἐστὶν ὄρος ἐν Κῷ*. ad vers. 130: *Πύξα δῆμος τῆς Κῶ κτἑ*. Quas ob causas G. Hermanni opinio (opusc. V. p. 78.), qui res huius carminis in Lucania actas esse statuit, reicienda est: cf. Meinek. ed. p. 245.

De tempore autem, quo actae sint res hoc carmine enarratae, schol. haec adnotavit (argum. id. VII.): *ἐπιδημήσας τῇ νήσῳ ὁ Θεόκριτος, ὅτε πρὸς Πτολεμαῖον εἰς Ἀλεξάνδρειαν ἀπῄει, φίλος κατέστη Φρασιδάμῳ καὶ Ἀντιγένει Λυκωπέως* (al. *Λυκωρέως*) *υἱοῖς. καὶ κληθεὶς.*

[1]) Cf. ephem. archaeolog. a. 1850. n. XXII. P. W. Forchhammer: Daduchos, Kiel. 1875. in fin.

ὑπ' αὐτῶν εἰς ἀγρὸν ἐπὶ θαλύσια Δήμητρος ἄπεισι μετὰ Εὐκρίτου καὶ Ἀμύντου κτλ. Scholiastae igitur opinio est, ut Haulero credamus, Theocritum Syracusis Alexandream permigrantem Con adiisse ibique Phrasidami et Antigenis amicum factum esse. Errore, quamquam haud ita magno, adductum schol. ea statuisse ex iis quae supra de Co Theocriti matris patria scripsi facile intellegitur. Res ita expedienda est: Theocritus ex Sicilia una cum matre Con se contulit, ubi Philetas et Asclepiades poetae eum docuerunt. Adolescentem e nobili gente ortum cum iuvenibus illustribus amicitiae vinculo coniunctum esse facile perspicitur. Ex horum igitur numero erant Phrasidamus et Antigenes, quos ex Asclepiadarum nobilissima insulae gente natos esse supra adnotavi. Ex insula Co Theocritus, urbis splendore singulari commotus, Alexandream permigravit. Vides meam sententiam non tam longe distare a scholiastae. Ceterum argumentum alterum, quod cum Munatum reprehendat ab Eratosthene interprete conscriptum atque igitur vetustius videtur esse, enuntiatum ὅτε πρὸς Πτ. εἰς Ἀλεξ. ἀπῄει omisit meaeque sententiae optime favet.

Ad enucleandum autem tempus quo actae sint res huius idyllii multum valet, quod Aratum poetam Solensem Co tum fuisse manifestum est. Hunc quidem circa annos 274/73. a. Chr. n. in ea insula habitasse coniecit v. d. Usener[1]: »Es ist deutlich, scripsit, dass die Katastrophe, welche durch Pyrrhus Rückkehr aus Italien über Antigonus (apud quem versabatur tum Aratus) hereinbrach, den literärischen Kreis des Makedonischen Hofes zersprengte und den Aratus zunächst nach Cos, dann zu Antiochus führte, bis die gesicherten Zustände Makedoniens seit 272 ihm die Rückkehr gestatteten«. Tamen equidem negaverim res huius carminis eo tempore quod designavit Usener actas esse, cum Aratus ad Antiochum fugiens ad breve certe tempus Con devertisse videatur (si omnino insulam tum adiit!) neque eius animi, cum ob belli gravissimi tumultus Macedoniam deserere coactus esset, tales essent, ut amoribus futilibus, quos designat carmen VII. vss. 96. seqq., tempus tereret. — Mea sententia plane aliud tempus statuendum est. Nam cum inter opera, quae Aratum scripsisse traditum est, nonnulla ad artem medicam spectantia inveniantur, recte inde concludi potest, poetam aliquamdiu arti medicae

[1]) Cf. Rhein. Mus. N. F. XXIX. p. 42. n. 3. (»Ein Epigramm von Cnidos«).

operam dedisse[1]). Atque cum Aratum cum hominibus Coensibus arte coniunctum videamus, eum in ea ipsa insula, quippe quae esset tunc optimorum medicorum sedes, illi arti se dedisse hanc audacter statuere mihi videor. Circa annum autem 300. a. Chr. n. in vitam venit (Köpke. l. l. p. 21.), anno 277./76. a. Chr. n.,[2]) cum Antigonus Gonatas Philam, Antiochi sororem, in matrimonium duceret, una cum Persaeo Stoico ad regem Pellam se contulit. Priusquam autem eo permigraret Athenis longius tempus iam vixerat, itaque circa a. 280. a. Chr. n. in insula Co artis medicae ediscendae causa eum XX fere annorum adolescentem versatum esse statuendum est. Eodem igitur tempore res huius idyllii actae sunt.

Lubenter autem concedo Haulero (l. l. p. 63.) Theocritum inde a vs. 103. ad 113. id. VII. Arati hymni in Panem mentionem fecisse, de quo refert Arati biographus tertius: *ἐπισταθεὶς* (*συσταθεὶς* Hemsterh.) *δὲ τῷ βασιλεῖ* (*Ἀντιγόνῳ*) *πρῶτον μὲν αὐτοῦ ποίημα ἀνέγνω τὸ εἰς τὸν Πᾶνα τῆς Ἀρκαδίας, εἶτ' ἐκείνου κελεύσαντος ἔγραψε τὰ Φαινόμενα,* ex quibus perspicuum videtur Koepkeio, Aratum, quum in Macedoniam veniret, ut qui tanquam primitias ingenii sui poetici in Antigoni regis notitiam perferret, tironem certe atque adhuc rudem in arte poetica fuisse. Tradidit igitur Aratus hunc hymnum Antigono anno fere 277. a. Chr. n.[3]), ex qua re mea sententia non sequitur, carminis Theocritei res post hunc annum, ut censet Hauler, actas esse: immo recte statuere mihi videor, Aratum hymnum illum antequam Pellam sese contulisset iam composuisse et res eo celebratas cum amicis Coensibus communicasse, ut facillime Theocritus id carmen significare posset iam ante a. 277. a. Chr. n. Huic quidem opinioni alia quoque favent. Respicias quaeso carminis eas partes, quibus agit poeta de amicorum commercio mutuo, de consuetudine hilari et iucunda, de amoribus adolescentium tum felicibus tum in-

---

[1]) Suid. ad eum refert *σύνθεσιν φαρμάκων, θηριακῶν ἐπιτήδεια, ἀνθρωπογονίαν, ἀνατομήν* al. Etiam Phaenomenorum et Diosemeorum argumentum eum naturae perscrutatorem ostendit. Cf. A. Breysig: Arati genus, progr. Erfurt. 1870. p. 33.

[2]) Westermann. biogr. p. 60. 12: *παρελθεῖν ἐς τὸν Ἀντιγόνου καὶ Φίλας γάμον.* Ritschl. Die alex. Bibl.: »Es war zwischen ol. 124. 2 und 125. 4., dass Aratus in Begleitung seines Lehrers, des Stoikers Persaeus, von Athen zum macedonischen Könige übersiedelte«. p. 88. Accuratius annum definivit Köpke l. l. p. 3. seqq.

[3]) Hauler. p. 63. Ritschelii computationem (ut videtur) secutus statuit a. 272. a. Chr. n., quod parum accuratum esse demonstravit Köpke.

felicibus, de poculis et osculis; nonne recte statuere tibi videor, cum totum carmen sapiat iuventutem, Theocritum ipsius iuventutis particulam descripsisse? Eo autem tempore, quod statui, Aratus et Theocritus vicesimum fere annum agebant, quam aetatem optime decere talem, qualem spiret id. VII. hilaritatem et laetitiam, sciunt quoscunque *Μοῦσαι ἴδον ὄμματι παῖδας μὴ λοξῷ.*

Describit igitur poeta hoc carmine suam iuvenitutem, nam qui Simichidas vocatur est ipse Theocritus, cf. vs. 9:

καί μ' ἀτρέμας εἶπε σεσαρώς ... »Σιμιχίδα« ...[1])

vs. 27: *τὸν δ' ἐγὼ ἀμειφθην· Λυκίδα φίλε ...*

Praeterea ne Lycidas quidem pastor verus est, sed Theocriti amicus et collega[2]): quod idem dicendum est de Sicelida, qui ita vocatur. Quaesiverunt autem viri docti summo studio de Lycida huius carminis et recte O. Ribbeckius, ut aliorum coniecturas omittam[3]), sub eius nomine Astacidam poetam bucolicum latere statuit.[4]) Nam Astacidas, cuius patria erat Creta, eo ipso tempore carminibus bucolicis operam dabat et Theocriti erat aequalis: quod intellegitur ex Callimachi epigr. 22. (Meinek.), quo se ob eius mortem summo luctu affectum esse scripsit:

Ἀστακίδην τὸν Κρῆτα, τὸν αἰπόλον, ἥρπασε νύμφη
ἐξ ὄρεος, καὶ νῦν ἱερὸς Ἀστακίδης.
οὐκ ἔτι Δικταίῃσιν ὑπὸ δρυσὶν οὐκ ἔτι Δάφνιν
ποιμένες, Ἀστακίδην δ' αἰὲν ἀεισόμεθα.

Ea cum Theocriti idyllio VII. comparanti Ribbeckii coniectura felicissima tibi videbitur: de Lycida enim haec praeterea leguntur:

vs. 11. *καί τιν' ὁδίταν*
ἐσθλὸν σὺν Μοίσαισι Κυδωνικὸν εὕρομες ἄνδρα,

---

[1]) Nominis originem supra designavi. Cf. Fabricius: bibl. gr. ed. IV. vol. III. p. 766. c. nott. Hauler. l. l. p. 6.

[2]) De pastoribus personatis cf. G. A. Gebauer: De poet. gr. buc. inprimis Theocr. carminib. in ecll. a Verg. expressis. sine anno (= 1861 ?). I. cp. 2. p. 19. Meineke ad Theocr. p. 314. not. Hauler. l. l. p. 9. seqq.

[3]) E. c. Bergh. (index. schol. Hal. Viteb. 1861 p. VI.) eo nomine Aratum designari opinatus est: at Aratus non est *Κυδωνικὸς ἀνήρ* (vs. 12.). Cf. Fritzsch. ed. mai. arg. VII. p. 196.

[4]) Cf. ephem. »Preuss.-Jahrbücher« vol. 32. (de Theocr. idd.)

quem poetam bucolicum tum clarissimum fuisse demonstrant vss. inde a 27:

Λυκίδα φίλε, φαντί τυ πάντες
ἔμμεν συριγκτὰν μέγ' ὑπείροχον ἔντι νομεῦσιν
ἔντ' ἀμητήρεσσι,

quae optime cum iis quae Callimachus de eo profert consentiunt.

Sicelidae nomine Asclepiadem, Theocriti praeceptorem appellatum esse non est cur non credamus scholiastae: eodem nomine etiam a Meleagro in Corona (*Σικελίδεώ τ' ἀνέμοις ἄνθεα φυόμενα*) et Hedylo (Athen. x. p. 473, b.) *Σικελίδου παίζει πουλὺ μελιχρότερον*), quos locos a Meinekio antea iam adnotatos Fritzschius quoque affert, appellatur.

Sub Tityri nomine id. VII. 72. latere Alexandrum Aetolum Meinekius (ad VII. 72. cf. p. 314. not.) non sine aliqua veritatis specie coniecisse sibi videtur. Contra scripsit Fritzschius (ad VII. 72.) nihil probari monens his argum. VII. verbis: *Ἀλέξανδρος δέ φησιν ὁ Αἰτωλὸς ὑπὸ Δάφνιδος μαθεῖν Μαρσύαν τὴν αὐλητικήν* (vulg. *τὴν μουσικήν*). Neque ego credo: est Tityri nomen, cuius notio videtur esse »cantor« [1]), desumptum ex popularium cantilenis, in quibus haec persona primas partes videtur egisse, quo simul explicatur articulus, cum *ὁ Τίτυρος* designet *κατ' ἐξοχὴν* cantorem carminum bucolicorum.

De tibicinibus Acharnensi et Aetolo (vs. 71. 72.) omnino nil certi proferri potest. Cum autem Acharnenses tibiae cantu exellentes extitisse indicare videatur locus Nonni Dionys. XLVII. 22., quem affert Meineke (de Lycope Aetoliae urbe nil scimus), Theocritus hoc tantummodo videtur designasse: aderunt mihi duo tibicines praeclari.

De Aristide quoque, quem poetam fuisse ipse Theocritus dicit (cf. vs. 100. seq.), viri docti coniecturas protulerunt. Bergkius enim censet (l. l.) hoc nomine significari Aristarchum Samium astronomum nobilissimum, quem quidem poesi operam dedisse ignoramus: Meineke (ad VII. 100.) Aristin quemdam inter Eratosthenis discipulos commemorari a Suida adnotat, quem tamen Theocrito aetate multo minorem fuisse facile perspicitur. Res igitur incertissima est. Ex ver-

---

[1]) *ΤΥΡ* in dial. doric. sever. i. q. *ΣΥΡ* (cf. Meinek. ad id. I. 3. Ahrens. Dial. Dor. p. 64.) (*συρίζειν*, susurro); *Τι-τυρ* reduplic ut *Σι-συφ* al.

bo autem *οἶδεν* (vs. 99.) Fritzschius cum Meinekio conclusit, Aristin amores Arati carmine celebrasse: fortasse! Aratum enim amore percussum esse amicus certe scivit.

Vides igitur de plerisque viris, quos Theocritus hoc carmine inducat, nil certi afferri posse. Hoc vero manifestum est, in insula Co eo tempore fuisse sodalicium iuvenum, qui carminibus pangendis operam darent[1]). Atque cum apud graecos omnia sodalicia rebus divinis niterentur, hoc quoque sodalicium iuvenum (arti bucolicae operam dantium?) deorum cuidam se commendasse verisimile est. Fuit ea, ut Holmio credamus, ipsa Ceres, quam Theocritus hoc carmine maxime celebrat. Quod comprobatur eo, quod Philetas quoque praeceptor, qui tum Co erat, Cererem carmine splendidissimo celebravit et Dorienses frequentissimi eius deae cultores erant: cf. etiam deae cultum in Triopio promuntorio vicino et Callim. hymn. in Cererem. Quo factum mihi videtur esse ut alter alterum ad carmina componenda excitaret et commercium inter iuvenes laetissimum et iucundissimum esset. Inter eos igitur iuvenes, qui Co tum alteram auream aetatem degebant, ipse Theocritus erat, qui aetate magis provectus postea memoria praeteritae vitae resuscitata hoc idyllio dies hilarissimos illos descripsit.

Cantilenae, quae huic idyllio insertae sunt, specimina ni fallor sunt poeseos bucolicae (cf. vss. 28. 49. seq. 92.) Theocriti iuvenis[2]): res autem, quas tractant, multo magis amatoriae sunt ideoque vulgari communique hominum naturae melius respondent quam cete-

---

[1]) Cf. etiam Meinek. ed. p. 314. not.

[2]) Simichidae cantilenam inde a vs. 94.--128. Theocrito indignam esse censet Greverus (Kleine Beytr. ad. VII. 94): »Wenn dies das beste Lied des Simichidas ist, so verlangt mich nicht, sein schlechtestes zu kennen. Die ganze Stelle ist sinnloses Geschwätz, das den, der verurtheilt würde, es zu entziffern, wahnsinnig machen könnte (eheu) (!), zumal da es wie menschliche Rede und wie Gedicht lautet ...... ex ungue leonem — der Simichidas ist nicht mein Theocrit!« Cum vero ipse recte moneat: »Vielleicht rührt diese Unverständlichkeit daher, dass wir den Sänger, seine Verhältnisse, seine Schicksale und die Personen nicht kennen, von welchen die Rede ist« etc., equidem non video cur talibus verbis ipsum poetam reprehenderit! Tales autem ineptiae saepius in Greveri libello inveniuntur: cf. e. c. p. 26., ubi vir iracundus et inexorabilis haec statuit: »Kann man sich etwas Alberneres denken, als dass diese Bestien (lupi, leones etc), und dazu noch um den Tod eines Jägers (Daphnidis, qui vero bubulcus est!) trauern?«.

rorum idylliorum. Quo accedit, quod cantores nullo modo se nobilioribus locis natos esse celare neque cantilenis sese pastores esse veros ostendere student. Plane alia autem indole praedita sunt cetera Theocriti carmina bucolica, ubi omnia ex intima vita pastorali deprompta sunt. Cf. de hac quaestione, quae luculenter exposuit Holm. l. l. II. p. 311. Theocritus igitur iuvenis, ut natura fit, non statim bucoliasmi Siculi leges perspexit: palmam a Musa bucolica certe eo tempore, cum in Sicilia apud Hieronem (cf. Hauler. l. l. p. 25. seqq. et infra) versaretur, accepit: cf. Holm. l. l. II. p. 312.

»Die Poesie des Volkes, recte inquit Holm. (II. p. 312.,), bewegt sich ebenso, wie die Kunstpoesie, und vielleicht nocht mehr, in allgemein menschlichen Empfindungen und behandelt besonders das Thema der Liebe.« False autem haec statuit: »Der Ackersmann singt nicht vom Pfluge, der Handwerker nicht von seinem Geräth und den Erzeugnissen seiner Kunst, der Hirt nicht von seinen Thieren. Wenn dagegen ein Kunstdichter Hirten auftreten lässt, so wird er, um den Hintergrund zu zeichnen, auf dem sich seine Personen bewegen, die Beschäftigungen derselben viel mehr in das Gedicht hineinverflechten, als wirkliche Hirten es in ihren Liedern thun.« Nam certe agricolae de coeli statu, de segetibus, de beluis domesticis, etc. lubentissime confabulari et si Musae cantum donaverunt canere solent; certe enim

navita de ventis, de tauris narrat arator,
enumerat miles vulnera, pastor oves!

Praeterea Theocritus ipse in carminibus vere bucolicis neque res pastorales magis ursit, quam pastores veri facere solent, et amores large immiscuit! Quo accedit, quod in eius carminibus saepius vestigia inveniuntur, quae Theocritum popularium cantilenas artis poeticae legibus severioribus subiunxisse comprobent, cf. cantilenam de Daphnide moribundo (id. I.), id. VI. id. VIII. 2. XI., quibus igitur proxime abest a popularium animis.

Itaque ea quoque falsa mihi videntur esse, quae porro scripsit Holm.: »Es sind hiernach, eigenthümlich genug, die Lieder der verkleideten Hirten des 7. Idylls mehr den wirklichen (sed quae sunt haec carmina?) Hirtenliedern entsprechend, als die Hirtenlieder in den eigentlich bukolischen Gedichten, und man sieht hieraus,

dass jene Lieder des 7. Idylls als ein Uebergang zu den andern zu betrachten sind!« Quae si sequeris statuendum tibi est, Theocritum adolescentem, quoniam is poeta lyricus, qui proxime accedat ad popularium imaginationem, iure summus habetur et ex Holmii sententia carmina Theocriti adolescentis (sive quae insunt in id. VII.) magis respondent pastorum verorum carminibus quam posteriora, maiore laude poetica floruisse quam virum!

Iam quaeramus, quo tempore compositum sit idyllium VII. Poetam autem temporis intervallo satis magno interiecto post illum diem, qui celebretur eo carmine, scripsisse hoc idyllium recte concludere mihi videor ex carminis initio *ἦς χρόνος ἁνίκ' ἐγώ*, fuit quondam tempus, cum . . . [1]), qua exordii formula poeta res huius carminis ante multos annos actas esse significavit. Idem sapere videntur versus ultimi (155. seqq.):

ἆς ἐπὶ σωρῷ (Cereris)
αὖτις ἐγὼ πάξαιμι μέγα πτύον, ἁ δὲ γελάσσαι
δράγματα καὶ μάκωνας ἐν ἀμφοτέραισιν ἔχοισα,

quibus poeta senex resuscitat memoriam diei hilarissimi illius. Praeterea autem hoc idyllium tanta sermonis et compositionis elegantia et candore scriptum est, ut omnino aequet ea, quae composuit poeta summa perfectione florens; ex qua re sequitur, poetam adolescentem et discentem non condidisse id VII. Spirat sane hoc carmen summam hilaritatem invenilem: at cave credas eam ob causam idyllium eripiendum esse poetae aetate provectiori. Theocritus enim etiam senex eam servavit animi hilaritatem et iucunditatem, qua floreant eius idyllia, et memoria diei laetissimi certe tantum valuit, ut etiam senis animi recrearentur,

quo fit ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis!

Res igitur huius carminis sapiunt inventutem floridam, sermo et compositio summam Theocriti artis poeticae perfectionem.

Haulerus autem (l. l. p. 62.) hasce quaestiones plane diversas confundens statuit haec: Theocritus Sicilia ob belli tumultus (circa

[1]) Cf. Plat. Protag. p. 320. c.: *ἦν χρόνος ὅτε θεοὶ μὲν ἦσαν κτλ.* et alios locos quos colleg. Fritzsch. ed. mai.

a. 265. a. Chr. n.) relicta Con rediit, affines et familiares suos visum; occasione data a Phrasidamo et Antigene ad Thalysia celebranda cum aliis familiaribus invitatus est; anno autem 259. a. Chr. n. Alexandreae versatus est poeta, itaque carmen VII. inter annos 265. et 259. a. Chr. n. compositum est. Pax autem facta est inter reges Ptolemaeum, Antiochum I., Antigonum anno 263. a. Chr. n., ita ut Arato, qui Antigoni gratia fruebatur, et Theocrito, qui Philadelphi favorem quaesiturus erat, sine ullo invidiae periculo Con una venire unaque vivere liceret post illum annum. Inde sequitur, carmen VII. verisimiliter circa annum 262. a. Chr. n. esse conscriptum.

Confundit igitur Haulerus quaestiones, quo tempore actae sint res et quando composuerit poeta carmen VII. Audacissime deinde ex iis, quae schol. adnotavit de rerum locis, ibidem composuisse poetam carmen concludit.[1]) Accedit quod neque a. 265. a. Chr. n., quo compositum esse vult id. XVI., cum Holmius re iterum perpensa[2]) alium rerum connexum constituerit, certus est, neque carmen XVII. ex mea sententia, quam infra uberius exponam, a. 259. a. Chr. n. compositum esse potest.

Hasce ob causas facere non possum cum Haulero.

Subscripsit autem Hauleri sententiae, ut alios omittam, Fritzschius (ed. mai. arg. VII.), nam »hoc statuendume est, inquit, quo temporis quaestio (Eichstadt. adumbr. etc. p. 8. coll. Hauler p. 61.) simul absolvitur, Theocritum Coum genere (cf. disserationem meam de poet. Gr. bucol. p. 3. seqq. Hauler. p. 10. seqq.), versatum tum in insula patria, instructum iam Philetae (vs. 10) institutione, conflata iam poetarum aequalium, Arati (vs, 98.), Apollonii (adn. ad v. 126. 47. et v. 13: hic ultimus vs. de Apollonio omnino nil habet!), aliorum partim amicitia, partim simultate, scripsisse hoc carmen invenem (vide vs. 39. seqq. coll. adn. ad v. 51: quibus id omnino non demonstratur.) et quidem non multo post hunc diem festum, qui scribendi ansam dederat«. — Reicienda igitur est Fritzschii opinio, cum Hauleri errores suos fecerit: irruit autem vir doctissimus in novos eosque gravissimos errores. Nam anno 262. a. Chr. n., quo Fritzschius cum Haulero

[1]) Cf. etiam l. l. p. 29. ubi (de id. XIV) in similem errorem irruit.

[2]) Cf. Histor. Sic. et Bursian. ann. V. vol. III. 246. seq. ubi censuram egit de Droysenii histor. Hellen. II. ed.

carmen compositum esse vult, neque Theocritus neque Aratus iuvenes erant, immo quadraginta fere annos nati iam erant [1]. Praeterea autem Apollonius Rhodius, cuius gloria poetica vel amicitia vel simultate Theocritum ad carmina pangenda adductum esse vult Fritzschius, anno 262. a. Chr. n., ut Ritschelii computationem, quae Fritzschio nota certe erat, sequamur, admodum puer erat. Cum enim ol. $^{126}/_{127}$. natus esset [2], anno 262. a. Chr. certe tantis laudibus nondum florebat, ut Theocritum aut amicum aut adversarium haberet.

Eberzius quoque, cuius sententiam affert Fritzschius (liber praesto mihi non erat), Haulerum secutus videtur esse, nam: Theokrit, inquit, scheint während des zwischen 265 und 259 fallenden Aufenthaltes in Cos zur bleibenden Erinnerung an die mit Freunden und Bekannten schön verlebte Zeit eben das VII. Gedicht abgefasst und wohl vor seinem Abschied und seiner Abreise nach Alexandria seinen Freunden überreicht zu haben. etc., quod quidem posterius tam splendidis verbis enuntiatum unde sumpserit vir doctissimus equidem nescio.

Non omnes de huius idyllii anno natali opiniones adumbrabo, sed statim meam in medium proferam!

Poetam arte poetica maxime florentem hoc carmen composuisse supra scripsi. Accuratius autem annum definire fortasse poterimus versibus inde a 45. ab omni parte examinatis: sunt hi:

ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται ὅστις ἐρευνῇ
ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος
καὶ μοισᾶν ὄρνιχες ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδόν
ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι.

(ea est lectio vulg., omisi coniecturas edd.)

Quibus verbis poetam aequalem perstringi omnes unanimo consensu statuerunt. Recte autem Weichert. (Ueber das Leben u. Ged. d. Ap. r. Rh. p. 59. § VI.) Gerhardium (lectt. Apoll. p. 5.)

---

[1]) Per se intellegitur Fritzschium vocis »iuvenis« usum Ciceronianum hoc loco secutum non esse.

[2]) Merkelius: Apoll. Rhod. Argon. ed. Lips. 1854. p. X. seqq. Apollonium inde ab anno 265. ad 193. vixisse et circa ol. 132. (ca 250 a. Chr.) Argonautica admodum iuvenem edidisse demonstrare studuit. Couat: la querelle etc. p. 6. seq. et append. eum circa a. 260. a. Chr. n. natum esse statuit.

secutus his versibus Apollonium Rhodium significari exposuit. Oblocutus est Merkel. (Apoll. Rhod. Arg. ed. Lips. 1854.), qui p. XXV. haec protulit: »Versus Theocriti notissimi id. VII. 45. ad 48. quibus architectos notat, qui domos struere velint ἴσον ὄρευς κορυφῇ et poetas traducit, qui imitando Chio vate satagant et balbutiant, in Apollonium, scribi non potuerunt, quod putabat Gerhardius lect. Ap. p. 5., si ipsum illud idyllium, uti fieri solet, iuvenili Theocriti aetati adsignandum est. De Antagora Rhodio vel alio eius temporis Thebaidis aut Heracleae poeta cogitari poterit«. Sed, uti scripsi, nulla proferri potest causa, ob quam Theocritum iuvenem composuisse hoc carmen statuamus: immo carminis elegantia poetam summas laudes poeticas iam adeptum autorem statuere nos iubet. Quod autem Merkelius Philetam et Aratum Theocriti familiares alterum Iliadem alterum Odysseam recensuisse scripsit, nil facit ad nostram quaestionem, cum Theocritus eos poetas perstringat, qui magno carmine epico condendo Homerum aequare studeant: non reprehendit grammaticos Homeri carminibus lectionibus variis vel notis doctis collatis lucem afferentes; etiam Hermeia Philetae carmen epicum [1]), quantum videre possumus, minusculum erat. Merkelii de illis versibus opinionem secuti sunt Haulerus, Bergkius, Couat, ut testes gravissimos nominem. Atque Haulerus quidem (l. l. p. 15. seq.) eam ob causam Merkelio assentitur, »quum demonstrare posse nobis videamur, Theocritum ante annum 250. vel pluribus annis id. VII. conscripsisse«: hoc Haulerum non demonstrasse, sed de schol. verbis erravisse supra scripsi. Bergkius quoque ea verba Theocriti refert ad Antagoram Rhodium, »qui una cum Arato Antigoni hospitio utebatur et epicam poesin [2]) fere extinctam resuscitare audebat« (ind. lectt. Hal. Viteb. 1861. p. VI.): non concedo, cum versus multo verisimilius spectent ad inimicitias sodalium Musei Alexandrini, inter quos Theocritus erat. Couat denique (la querelle de Callim. etc. p. 13. n. 1.) haec protulit: »Ces vers n'ont pas pu être écrits, comme on l'a cru, contre Apollonius, car l'idylle VII. a été composée avant 250. V. Hauler, de Theocriti

[1]) Cf. Meineke: Analecta Alexandrina. Berol. 1843. p. 16. 350. seqq.

[2]) Pellae scripsit Thebaidem, cf. Vita Arati. ed. Alfr. Breysig. progr. gymn. Erfurt. 1870. p. 31.

vita etc.«. Cum igitur plane faciat cum Haulero neque eius errores perspexerit, nova argumenta proferre supervacaneum est.

Res igitur ita sese habet: deseruerunt viri docti eam ob causam Gerhardii Weichertique opinionem, cum Theocritum carmen VII. antequam Apollonius Rhodius Alexandreae inclaruisset composuisse persuasum sibi haberent. Itaque cum vs. 45. seqq. poetam Homerum imitantem perstringi concederent, Antagoram Rhodium, quippe qui eo tempore poesi epicae maiorem operam dedisset, notari statuerunt [1]). Iustam autem causam, ob quam Apollonicum Rhodium non statuamus, equidem non video: immo omnia comprobant, Theocritum Callimachi de arte poetica leges secutum contra Apollonium Rhodium eos versus scripsisse. Theocritus enim carminum minusculorum sed summa arte expolitorum autor certe fecit cum Callimachi regula: *τὸ (γὰρ) μέγα βιβλίον ἴσον*
τῷ μεγάλῳ κακῷ [2]).
Itaque cum Apollonius, Callimachi discipulus fervidus et gloriae poeticae cupiditate permagna incensus, praeceptoris regulis spretis se carmine epico Homerum aequare posse speraret et Musei Alexandrini sodales (ipse Theocritus Alexandreae tum versabatur) partim Callimacho fidem servarent, partim Apollonio applauderent [3]), Theocritus certe non dubitavit, quin statim Callimachi partes sequeretur et omnino id ageret, ut ineptissimum esse certamen cum Homero ostenderet. Ita id. VII. vss 45. seqq. explicandi sunt. Quaerendum igitur est, quo anno fere Apollonius Argonautica primum ediderit, de qua re post Merkelium optime disputavit Couat. Merkelii autem

---

[1]) Fritzschii (ed. mai. ad VII. 48.) opinio: »notari ac vellicari poetas aequales, e gr. Apollonium Rhodium vel Callimachum exposui d e p o e t. g r. b u c p. 5.«, quod attinet ad Callimachum falsissima est, quoniam perstringitur poeta quidam m a g n i carminis epici. Meinekius ed. p. 314 n. haec habet: »In simultatibus quae Callimacho cum Apollonio fuerunt, utrius partes secutus sit non dubium esset, si recte VII. 45. 48. Apollonium carpi statuisset Gerhardus Lectt. Apoll. p. 5. contra quem vide quae disputavit Merkelius Proleg. Ap. 1873. p. XXV«.

[2]) Cf. O. Schneider: Callimachea. Lips. 1870. fr. 359.

[3]) Rem post Weichertum et Merkelium uberius exposuerunt cum Lincke l. l. p. 16. seqq., qui saepe erravit, tum Couat (la querelle etc.), qui p. 17. haec scripsit: »Apollonius n'était donc pas l'uniqne adversaire de Callimaque; il fut seulement le plus illustre, et autour de lui se rangèrent sans doute les partisans de l'imitation de l'épopée antique«.

(p. XXV.) et Couatii (p. 11.) opiniones ita optime consociari mihi videntur, ut Apollonium ol. 133. primam Argonauticorum editionem fecisse statuamus: itaque haud audacius scribere mihi videor, eodem fere tempore (a. 248. a. Chr. n.) composuisse Theocritum idyllium VII. Eo autem tempore Theocritus summum poeseos fastigium iam ascenderat et in nobilissimis poetis Alexandrinis recte numerabatur: cuius rei ipsum sibi conscium fuisse comprobare videtur vs. 93: *τά που καὶ Ζηνὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα,* scilic. mea carmina ipsi Iovi nota sunt; est hic sine dubio Ptolemaeus (Philadelphus?), quem etiam Callimachus hymno in Iovem ita celebrat. Cf. Fritzsch. ad h. l.

Ad Theocrit. VII. 45. seqq. Merkelio p. XXVII. (cui rectam esse opinionem suam non constitit) spectare videntur Apoll. Argon. I. 737: *ἐν δ' ἔσαν Ἀντιόπης Ἀσωπίδος υἱέε δοιώ,*

Ἀμφίων καὶ Ζῆθος· ἀπύργωτος δ' ἔτι Θήβη
κεῖτο πέδας, τῆς οἵγε νέον βάλλοντο δομαίους
ἱέμενοι. Ζῆθος μὲν ἐπωμαδὸν ἠέρταζεν
οὔρεος ἠλιβάτοιο κάρη, μογέοντι ἐοικώς.
Ἀμφίων δ' ἐπὶ οἱ χρυσέῃ φόρμιγγι λιγαίνων
ἤιε, δὶς τόσση δὲ μετ' ἴχνια νίσσετο πέτρη.

»Habes, inquit, aedificationem (sed urbis!), habes *οὔρεος ἠλιβάτοιο κάρη,* habes locutionem Theocriteam *μογέοντι ἐοικώς,* habes allegoriam non abstrusam, duo cum faciant idem, non esse idem«. Quae si recte sese habent, quod mihi quidem non constat, res facile ita explicari potest, ut ea iam primam Argonauticorum editionem continuisse ipsumque poetam in poetarum certamine publico, quae Alexandreae fuisse contendit Couat, recitasse et Theocritum hunc locum celeberrimum sane, cum imitaretur Apollonius Homeri descriptionem scuti Achillis, significasse (*ὅσσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδόν* ‖ *ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι.*) statuamus. Sed res perspicua non est.

Eorum igitur quae adhuc disputavi summa haec est. Theocritus pueritiam degens Co amicus erat Arati, Phrasidami, Antigenis, aliorum, quos appellavit in id. VII., discipulus vero Philetae et Asclepiadis. Cum autem eo tempore Co carmina bucolica iam canerentur et canendi certamina Siculis antiquitus propria Coensibus quoque gratissima essent, Theocritus una cum amicis illo poeseos genere incensi pastorum vestimentis induti per agros et silvas vagabantur et veros pastores imitantes carmina bucolica certatim recitabant.

(Cf. Holm. l. l.) Tale certamen in carmine VII. descriptum est. Theocritus Co relicta Alexandream se contulit circa a. 277. a. Chr. n. (cf. id. XXVI.); deinde Syracusas adiit a. 269. a. Chr. n. (cf. Hauler. de id. XVI. p. 26. seqq. coll. Holm. Hist. Sic. et Bursian. ann. l. l.). Syracusis ob belli tumultus relictis Miletum, ut Haulero (p. 64.) credamus, ad Niciam amicum permigravit. Circa annum 265. a. Chr. iterum Alexandreae versantem eum inveniemus (cf. id. XVII.), ubi postea Callimachi partes secutus est, cuius rei testimonium inest in id. VII. vss. 45. seqq. Hac in urbe praeter alia carmina, memoria vitae praeteritae resuscitata, carmen VII. sive descriptionem iuventutis circa a. 248. a. Chr. n. composuit

Excursus de id. VII. vss. 72—77.

Id. VII. 72—77. ea continere mihi videntur, quibus qualem sibi finxerit Theocritus Daphnidis fabulam [1]) coll. id. I. et VIII. extr. optime intellegatur. Persuasum autem mihi est, nympham quam Daphnis ἄκρηβος ἐὼν ἔτι VIII. 93. in matrimonium ducat, eam non esse, quam VII. 73. tam libidinose amet: lucem afferre videntur id. I. 82. seqq. Puella enim, cuius amore permagno Daphnidem percussum ait Priapus I. 82. 88., non est uxor legitima (eam ob causam Priapus inducitur), immo est Xenea, quam appellat id. VII. 73. Ea autem, quae Venus ira percussa id. I. 97. 98. in Daphnidem iactat, explicantur vss. 105. seqq., quorum sensus est hic: Tu quidem dea

[1]) Eorum qui de Daphnidis fabula egerunt memoratu dignissimi sunt hi: Dav. Jac. van Lennep (comment. Inst. Belg. class III. tom. III. 1820. p. 176. J. P. E. Greverus. Kleine Beyträge etc. 1830. ad id. I. 126. Ed. Jacobi: Handwörterbuch der griech. u. röm. Mythologie. Koburg u. Leipz. 1835. vol. I. p. 222. seqq. (cf. alia lexica mytholog.) N. Bach: Philetae Coi, Hermesianactis etc. reliquiae ed. Halis Sax. 1839. p. 91. seqq. Ameis. in Zimmermanni annal. 1842. p. 202. L. Doederlein: Lectt. Theocriteae, Erlang. 1843. p. 3. seqq. A. Meineke: Anall. Alex. Berol. 1843. p. 250. C. Fr. Hermann: De Daphnide Theocriteo Gott. 1853. Ahrens. in Philolog. VII. 414. seq. Welcker. opusc. I. p. 188. seqq. (de Stesichoro.) I. Hauler. l. l. p. 45. Buecheler. in Jahn. annal. 1860. p. 359. O. Kreussler: observ. in Theocr. carmen I. Misenae 1863. p. 10. Calculos utilissimos adiecerunt Gebauer. l. l. Holm. l. l. Ribbeck. l. l. Klausen: Aeneas und die Penaten. I. p. 518. seqq. Rohde: Der griech. Roman etc. p. 498. ut omittam eos qui peculiares libros de mythologia gr. scripserunt. Quorum opiniones ego neque excribere et adumbrare neque singillatim refutare aut comprobare volo.

lasciva coniugi fidem non servasti, sed libidinibus commota cum Anchise et Adonide nova iniisti matrimonia: ego vero uxori legitimae fidem promissam servabo et amorem Xeneae (97. 98. 103.) repellam. Theocritus igitur Daphnidis fabulam ita sibi finxit. Prima adolescentia florens Naidem nympham in matrimonium duxit (VIII. 93.), quam vero non tam vehementer amavit, ut Xeneae amorem [1]) omnino repudiaret. Sed cum castitate nimia floreret, uxori, quam amare desierat fidem promissam servavit neque cum Xenea coiit. Quo factum est, ut eius animus propter nimium amorem insaniae [2]) caliginibus paullatim involveretur et ipse per silvas montanas vagaretur. Cum igitur neque Xeneae amore frueretur et eum opprimere studeret, et Priapi et Veneris numen laesit. Itaque Daphnidem moribundum Priapus recte allocutus est: Quid tu tabescis, Xenea tecum convenire vult, tu vero stultus eam repudias (I. 82.)! Sed Daphnis pertulit amorem et castus Naidi fidem servavit: itaque Xeneae amor vel maximus Daphnidis castissimi illius mortis causa erat.

Ita Theocritus Daphnidis fabulam sibi finxisse videtur mihi.

Rectam autem eius fabulae explicationem protulit O. Ribbeck. l. l. qui »neptunistarum« (sic appellare placuit Meinekio ed. hymn. et epigr. Call. Berol. 1861. p. 250 praeter al., qui notam quamdam fabularum explicandarum rationem sequerentur.) rationem secutus haec de Daphnide statuit [3]): ... das ist die eisige, glänzende Starrheit des Aetnagipfels, dessen schmelzender Schnee als Gletscherbach den felsigen Abhang herabrinnt, wie denn auch Daphnis von seinem Vater, dem Regen- und Nebelgott Hermes [4]) endlich in einen Quell verwandelt wird«. Huic quidem explicationi ego ipse plane assentior: comprobare eam videtur ipsum nomen, quod, ut Ribbeck.

---

[1]) »Das Mädchen aus der Fremde«: hoc revera inest in ea voce (cf. O. Ribbeck. ephem. Preuss. Jahrb. vol. 32.) neque video cur Fritzschius (ad VII. 73.) C. Fr. Hermannum et Koechlyum ita vertentes in errorem fortuita sua similitudine induxisse nomen Schillerianum statuerit: recte o Ribbeck. servavit voci eum sensum.

[2]) Hoc recte monuit Ahrens. Philol. VII. l. l.

[3]) Indicaverat eam explicationem iam C. Fr. Hermann (cf. l. l. p. 20.), qui sub Daphnidis fabula nives verno tempore linquentes indicari ratus *ἔβα ῥόον* (id. I. 140.) interpretatur 'in undas abiit', 'in fontem mutates est'. Meinek. ad I. 140.

[4]) Eum esse Mercurium demonstravit P. W. Forchhammer: Hellenica. s. v. *ΚΡΜΗΣ*. Eiusdem: Die Wander. der Inachostochter Io Kiel. 1881. p. 35. seq.

recte indicavit, ductum est a *ΔΑ* (splendere, fulgere[1]), quod est glacici montanae solis radiis refulgentibus. Atque recte quidem, cum glaciei montanae prima origo ea soleat esse, Mercurius imbrium et roris deus eius pater nominatur. In Aetnae montis convallibus longe remotis ab hominum consuetudine pascit boves et capellas: nam Graeri ex vetustissimis temporibus vocibus *βοῦς*, *χίμαρος* *κτλ.* propter motionum similitudinem torrentes et amniculos montanos [2]) designare solebant. Cum autem torrentes et amniculi illi ex glacie montana coorti murmurantes et sonantes in campos desiliant, ipse Daphnis dum greges illos pascit syringem vel fistulam invenit.

Similis igitur est haec fabula eius, quam Ovidius (Metam. I. 682. seqq.) de Syringe in calamos transformata nobis tradidit [3]). Haec enim nympha Panem deum fugiens »per avia« ad Ladonem fluvium pervenit, ubi in calamos transformata est: haec quoque fabula facile explicatur. Nam Ladon amnis aquas excipit ex lacu Pheneico inter Pheneum et Nonocrin, ubi actae sunt res, subterranea quadam fossa, quae siphonis habet structuram et vim. Ea quidem re haec fabula nititur: ubi primum enim lacus ille adeo auctus est, ut eius aquae ad siphonis culmen summum ascenderint, summa celeritate ex lacu in Ladonem defluunt, quoad lacus aequor usque ad siphonis os rursus descendit: tum iteratur eadem res, quam quidem Ovidius designavit versu »et precibus spretis fugisse per avia nympham.« Ubi primum autem Ladon arenosus et vadosus eas aquas recepit, Pan, nebularum montanarum daemon, calamos amplectitur, quoniam Ladon vadosus arundinis plenus esse solet, ut eius aquas non videas; ea est Syrinx Naias in calamos transformata. Aquarum per calamos fluentium susurrus et strepitus, ventorum in calamos conflantium sonitus, nebulae et roris in calamos cadentis clangor syringis, quae est vox onomatopoietica, primus cantus erat [4]).

---

1) Ita Graecorum laurus quoque (i. q. Oleander-Lorbeer: cf. P. W. Forchhammer: Apollons Ankunft in Delphi. Kiel. 1840. p. 22.) propter florum colorem rubrum et splendentem appellata est.

2) Cf. Forchhammer: Hellenica et Daduch. s. vv. *ΒΟΥΣ. ΧΙΜΑΙΡΑ.*

3) Cf. P. W. Forchhammer: Die Wanderungen der Inachostochter Io. Kiel. 1881. p. 36.

4) Cf. Etiam Lucretii de rerum natura (ed. I. Bernays.) lib. V. vss. 1376. seqq.

Daphnidis igitur fistulae iuventoris fabula similiter explicanda est. Nais autem nympha, qnam fontium heroinam esse ipsum nomen designat, recte eius uxor legitima nominatur. Ubi primnm autem ver adest et glacies tabescunt et molliuntur, Daphnis heros Xeneae amore percussus inducitur: nam Xenea ipsa, quae subito et inopinato adest adolescentemque splendentem fervidissime amat, veris heroina est, quae glacies et nives montanas mollit et campos novis floribus praeclaraque exornat amoenitate sicuti ipsa pulchritudine singulari floret. Eius igitur amor fervidus Daphnidis morientis causa est, nam tabescit

εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἶμον
ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα. Theocr. VII. 76. Cum autem una cum aestate calor accrescat et innumeri rivuli et torrentcs de montium culminibus destrepant et nives in fontes abeant, Daphnidem ipsum a Mercurio patre, imbrium et roris deo, in fontem transformatum esse fabulae priscae recte narraverunt: Syracusani dein eum fontem 'Daphnis' appellatum apud se esse credebant (Serv. Verg. ecl. V. 20.).

Is fabulae Theocriteae sensus mihi videtur esse.

Daphnidis imago mythologica certe vetustissima est, quod eo ingrimis comprobatur, quod est heros pastoralis et ubicumque coeli status et natura locorum vitae pastoriciae favebat eius memoriam celebratam invenimus.. Qua re explicatur, quo modo tot fabulae de eo fingi poturrint. Illum igitur heroem pastores Siculi sibi constituerunt fautorem: elucet cur Siculi Apollinem quoque, qui saepissime est deus pastoralis, appellaverint Daphnidem.

Menalcas, Daphnidis socius et amicus, eius naturae bene respondet. Nam venator ille acerrimus nebularum et nubium daemon est [1]), quae noctu per auram volitant et montium culmina circumdare solent: eius quidem amore gravissimo incensa Eriphanis nympha venantem sequitur neque unquam cum eo convenire potest. Qua

[1]) Venationes illas mythologicas, quibus abundant omnium gentium fabulae, saepenumero nebulas noctu per auram volitantes significare multis exemplis potest demonstrari: cf. inprimis Cephalum Atheniensem (Forchhammer. Hellenica s v. *ΚΚΦΑΛΟΣ.*) Ex nostri populi fabulis multa exempla collegit et sagicissime explicavit L. Laistner (»Nebelsagen« in ephem. 'Kunst und Leben' vol. I. p. 244. seqq.): cf. inprimis nostrum 'wilden Jäger'. 'Harzjäger' al.

fabula designantur nebulae, quae mane, ubi primum aurora effulsit (atque aurorae quidem heroinam esse Eriphanidem nomen »quae mane fulget« ostendere videtur [1]) recedere solent. Eam quidem fabulam Euboeae nebulosae et nubilae incolae Hermesianacte teste [2]) narrabant. Siculi autem, cum patria coelo multo sereniore et clariore frueretur, illum venatorem ferum in ovium pastorem mitem transformaverunt: nam vox 'ovis' (*κριός κτἑ.*) in mythologia graeca saepe eas nubes designat, quas nostrates appellare solent Schafwölkchen [3]). Atque cum illae nubes inprimis in montibus altis considere soleant, recte populares Menalcam Daphnidis statuerunt socium et amicum.

III.

De idyllio XVII.

Theocriti idyllium XVII., *ἐγκώμιον εἰς Πτολεμαῖον*, post Ptolemaei Philadelphi et Arsinoae nuptias anno 266. a. Chr. n. [4]) actas compositum ess ipsum carmen demonstrat (cf. vss. 128. seqq.). Locuples praeterea auctor de carminis tempore est Droysenius (histor. epig. I. p. 318. seq.), quem quidem plane secutus est Haulerus. (l. l. p. 17. seqq.).

[1]) O. Ribbeck. l. l. »Vielleicht ist das durch den Waldesschatten von Baum zu Baum fliegende Sonnenlicht gemeint«.

[2]) Apud schol. Theocr. VIII. 55: *Καὶ Ἑρμησιάναξ λέγει τὸν Δάφνιν ἐρωτικῶς ἔχειν τοῦ Μενάλκα·* (Erravit schol. cf. E. Rohde: Der griech. Roman u. seine Vorläufer. Leipz. 1876. p. 78. n. 1.) *ἀλλ' ὁ μὲν ἐπ' Εὐβοίας κτλ.* causa quam profert schol. nihil valet. N. Bach. ed. Philetae alior. reliquiae. p. 91. seqq. c. nott. — Athen. XIV. 619. C. *Ἠριφανὶς ἡ μελοποιὸς Μενάλκου κυνηγετοῦντος ἐρασθεῖσα ἐθήρευε μεταθέουσα ταῖς ἐπιθυμίαις .... ὅθεν ἐποίησέ τε καὶ ποιήσασα περιῄει κατὰ τὴν ἐρημίαν, ὥς φασιν, ἀναβοῶσα καὶ ᾄδουσα τὸ καλούμενον νόμιον, ἐν ᾧ ἐστι »Μακραὶ δρύες, ὦ Μενάλκα«*: Versiculus intercalaris videtur esse F. G. Schneidewin. Delectus etc. Gott. 1838. p. 464. 29.

[3]) Menalcam Theocritus semper pecudum magistrum inducit: cf. VIII. 9. *ποιμὴν εἰροπόκων ὀΐων συριγκτὰ Μενάλκας.* VIII. 15. seqq. IX. 17. al. De voce *κριός* et sim. cf. Forchhammer. Hellen. s. vv. Etiam Goethei carmina notissima illa 'Cirrus' etc. huc faciunt.

[4]) Eum esse nuptiarum annum, non 276. a. Chr. n., quem statuerat Franzius, demonstravit Droysen. hist. epigon. II. ed. tom. I. p. 266. n. 268. n. al. cf. Hauler. l. l. p. 20.

Atque Droysenius quidem carmen, de quo agitur, in belli Syri alterius, quod inde ab anno fere 258. a. Chr. n. ad 248. a. Chr. n. ductum esse statuit, tumultus referendum esse censet, ita tamen, ut sit compositum, antequam Samos, Magnesia, Ephesus expugnatae essent (Droysen l. l. p. 318. n. 4.). Continet enim ex eius sententia id. XVII. earum quidem provinciarum enumerationem, quae nonnisi eo bello a Philadelpho expugnatae esse possunt. Atque cum desit in ea enumeratione Ionia provincia, id. XVII. ipsum ante Ioniae expugnationem compositum esse necesse est. — Eam quidem ratiocinationem secutus Haulerus p. 25. annum fere 259. a. Chr. n. carminis natalem constituit.

Ea praemittenda mihi visa sunt: uberius de utriusque autoris causis infra mihi erit agendum; persuaserunt mihi quidem non. Nam v. d. Droysen nimis nisus videtur esse in earum provinciarum catalogo, quas ad illud bellum rettulit, quamvis et ipse scripserit: »So vollkommen vereinzelt steht diese Angabe (ap. Hieronym. in Dan. XI. 6.), dass gründliche Forscher haben glauben können, der Krieg sei chimaerisch« cf. Thrige Res Cyren. p. 237. Neglexit enim mea sententia causam vel gravissimam et plane aptam, ut videtur mihi, ad refutandam eius coniecturam. Nam quod vehementer me commovit, ut non facerem cum Droysenio, est quod Theocritus inde a vs. 64. id. XVII. haec profert de insula Co:

Κόως δ'ὀλόλυξεν ἰδοῖσα (Ptolemaeum Philad.),
φᾶ δὲ καθαπτομένα βρέφεος χείρεσσι φίλῃσιν·
»Ὄλβιε κοῦρε γένοιο, τίοις δέ με τόσσον, ὅσον περ
Δᾶλον ἐτίμασεν κυανάμπυκα Φοῖβος Ἀπόλλων.
ἐν δὲ μιᾷ Τρίοπος καταθεῖο κολώναν
ἶσον Δωριέεσσι νέμων γέρας ἐγγὺς ἐοῦσιν,
ὅσσον καὶ Ῥήναιαν ἄναξ ἐφίλησεν Ἀπόλλων.«

Istis enim temporibus, quibus compositum esse vult Droysenius hoc carmen, insulae Cois nomen Alexandreae valde odiosum et inimicum fuisse debet, quoniam antecessit pugna navalis apud eam ipsam insulam, qua Ptolemaeus II. Philadelphus plane devictus est[1]). Una enim cum Areo, Lacedaemoniorum rege, Athenienses contra Antigonum Gonatam rebellantes et ab eo quam maxime vexatos,

[1]) Sequor Droysenium.

(quod bellum appellatur Chremonideum), quantum potuit adiuvit. Atque cum praeterea Alexander, Molossorum rex fortissimus, in ipsam Macedoniam incursionem faceret omniaque devastaret et Crateri, fratris Antigoni, filius Alexander, quem Corintho et insulae Euboeae praefecerat, ut alios hic omittam tyrannos, defecisset, periculum adeo auctum est Antigono, ut omnia quidem quae diu cogitando et prudenter agendo perfecerat, e medio sublata iam videri possent. Iter enim terrestre e Macedonia in Atticam ab hostibus interclusum erat et praeterea Patroclus, Philadelphi nauarchus, magno navium numero sinum Saronicum et mare vicinum obtinebat. Rebus tam trepidis Antigono id praecipue agendum erat, ut Aegyptios repelleret. Eorum enim auxilio nisi Athenienses rebellaverant, Molossi in Macedoniam invasionem fecerant, Alexander, Corinthi dominus, defecerat. Atque cum nova Philadelphi classis iam adventaret, ut cum Patrocli coniuncta res quam celerrime ad finem perduceret, Antigono periculum adeo auctum est, ut nisi hostes devicisset omnia perdidisset. Atque devicit quidem Aegyptios pugna illa gravissima apud insulam Con, qua victoria res adeo commutatae sunt, ut et Athenas expugnaret et reliquos hostes facillime opprimeret. Fuit ea clades Philadelpho fere fatalis: nam eodem tempore cum Antiocho quoque, Syriae rege, et Maga, Cyrenae domino, bellavit; id dico bellum, quod vocatur Syrum primum. Antiochus enim victor processit Damascumque expugnavit, Magas Paraetonium cepit et late progressus est, quoniam Ptolemaei classis ex ea victoria neque litus Cyrenaicum devastare neque urbes maritimas expugnare potuit. Immo Philadelphus cum Maga pacem inire eumque Cyrenae regem agnoscere (ea pace Euergeti, Philadelphi filio, Berenice, Magae filia, desponsa est), Ephesum dimittere et Caunum, quam antea expugnaverat, Rhodiis reddere coactus est. Talis erat pugna navalis apud insulam Con, qua si non victus esset Philadelphus alterum bellum Syrum certe non exarsisset: vel maxime igitur momenti est in illorum temporum historia [1]). Commovit ea quidem pugna animos tum sine dubio vel maxime: nam Antigonus ea una pugna rex

[1]) Droysen, l. l. p. 276: ». . . . : diese Schlacht war wie die Wetterscheide für diese gleichzeitigen Kriege . . . . der herrliche Sieg von Cos verwandelte plötzlich die Lage der Dinge; jetzt mochte Magas ungehindert bis an die nächste Nähe des Nillandes vorrücken; Gemeinsamkeit in den Bewegungen der Verbündeten hätte jetzt viel-

potentissimus et Philadelphi hostis gravissimus factus est. Et ne memoria quidem illius stragis post sex vel septem annos Alexandreae adeo obliterata et tenebris circumfusa esse potuit, ut poetae aulici et blandientes ab eius nomine odioso ordientes Philadelphum semper augustum et victorem celebrare revera auderent. Legas autem nunc versus illos Theocriteos: nonne irrisionem vel maximam continent, si cum Droysenio et Haulero annum 259. a. Chr. n. i. e. post pugnam Coensem statuis? Num revera insulae Cois nympha, quae stragi illi nomen dedit, orare potuit, ut rex Philadelphus eam pariter honoraret atque Apollon Delum?

Iam quaeramus, quo anno fuerit pugna navalis apud insulam Con. Droysen. l. l. p. 244. n. 4. eam anno 266. a. Chr. n. fuisse statuit. Aestate enim anni 267. a. Chr. n., haec est eius ratiocinatio, Zeno Citiensis Athenis mortuus est, qui cum et Antigono carissimus esset et magna apud Athenienses auctoritate floreret id semper quam maxime egit, ut Athenienses amici esset Antigoni. (Aelian. V. H. VII. 14: *πολλὰ ὑπὲρ Ἀθηναίων ἐπολιτεύσατο πρὸς Ἀντίγονον*). Statim post eius mortem bellum, quod vocatur Chremonideum, exarsit[1]) (a. 266. a. Chr. n.), eoque ipso anno Galli apud Megaram oppressi et Lacedaemonii recedere coacti sunt. Hieme deinde quae secuta est vel vere Alexander, Molossorum rex, incursionem fecit in Macedoniam: paullo post Antigonus victoriam Coensem ab Aegyptiis reportavit.

Ea fere est Droysenii horum temporum dispositio, quae tenebris crassis involuta esse nemo nescit. Ego autem ne in hac quidem quaestione cum Droysenio fecerim.

Plurimum ad haec tempora disponenda valere Zenonis annum letalem vides: ad eum igitur accuratius definiendum nunc accedamus[2]). Hieronymus ad ol. 129. 1. = $^{264}/_{3}$. a. Chr. n. haec adnotavit: Zeno Stoicus moritur, post quem Cleanthes; quibuscum omnia perbene

---

leicht merkwürdige Erfolge gehabt, und was hätte geschehen können, wenn sich Rhodus zu thätiger Mitwirkung gegen Aegypten erhoben hätte«.

[1]) Droysen. l. l. p. 229. n. »Es liegt nahe, seinen (Zenonis) Tod selbst mit dem Ausbruch des Freiheitskampfes in Verbindung zu bringen; erst nachdem der Warner und Vermittler dahin war, begann er«.

[2]) Brevibus adumbrabo ea quae v. d. E. Rhode de Zenonis morte disputavit in ephem. Rhein. Mus. N F. vol. XXXIII. (1878.) p. 622. seqq.

consentiunt. Cleanthes enim, Zenonis in schola successor, natus est *ἐπ' ἄρχοντος Ἀριστοφάνους*, i. e. ol 112. 2. = $^{331}/_{30}$. a. Chr. n. secundum Comparetti: Papiro Ercolanese inedito, Torino 1875. col. XXVIII.—XXIX. (p. 58). Mortuus est secundum Lucian Macrob. 19. Valer. Max. VIII. 7 extr. 11 annum aetatis nonagesimum nonum agens *ἐπ' ἄρχοντος Ἰάσονος*, i. e. $^{232}/_{31}$. a. Chr. n. Idem papyrus, quem nominavi, col. XXIX. haec habet: [*Κλεάνθην*] *τὴν σχολὴν κατασχεῖν ἐπ' ἔτη τριάκοντα καὶ* ......, ubi *δύο* coniecit[1]) v. d. Th. Gomperz. in ephem. liter. Jen. 1875. n. 539., i. e. inde ab anno 264/63. a. Chr. n. Quocum consentit optime Zenonis mors, quae in a. 264. a. Chr. n. referenda est. Eam quidem rationem v. d. Rhode recte ad Apollodori libros chronologicos rettulit, quem Zenonis quoque mentionem fecisse testis est Philodemus *περὶ τῶν φιλοσόφων*, col. XI. (Hercul. vol. coll. prior. VII. 2. p. 15.) Plane falsam autem eam rationem esse, quam secuti sint Apollonius Tyrius (cuius autoritatem praeterea nullam esse censet v. d. Rohde l. l.), qui Zenonis literis illis spuriis[2]) (Diog. L. VII. 6. extr.) nisus philosopho nonaginta octo dedit annos, Clinton. (F. Hell. p. 380. Kr.), Zumpt. (Best. der phil. Schulen. p. 100.), Droysen l. l., qui ei nonaginta duos annos tribuerunt, optime demonstravit v. d. Rohde. Koepkei (l. l.) sententiam, qui Zenonem a. 258. a. Chr. n. mortuum esse statuit, et ipsam falsam esse ex iis quae sequuntur elucebit. Exarsit igitur bellum Chremonideum ex hac ratione post Zenonis mortem a. 264. a. Chr. n, quod quidem aliis argumentis optime, ni fallor, comprobatur.

Atque primum quidem eo referendum est foedus, quod Athenienses cum Lacedaemoniis eorumque sociis inierunt, cuius autor erat idem Chremonides, qui bello nomen dedit[3]). Ictum est *ἐπὶ Πειθιδήμου*[4]) *ἄρχοντος ἐπὶ τῆς Ἐρεχθεῖδος δευτέρας πρυτανείας*,

---

[1]) Hanc coniecturam rectam esse, cum papyrum ipsum inspexisset, ipse Gomperz. vidit: literae enim *Δ* (= *δύο*) lineolam inferiorem (△) servatam esse suis oculis animadvertit. Cf. Rhein. Mus. N. F. vol. XXXIV. (1879.) t. I. p. 155.

[2]) Diog. L. et Antigoni literas, per quas philosophum invitavit, et Zenonis responsum servavit. Recte Brucker. (histor. phil. I. 897.) et Zeller. (Philos. der Griech. III. 27.4), quibuscum fecit v. d. Rhode l. l., earum integritatem addubitaverunt: defendit incorruptam integritatem Koepke. de Arati Solensis aetate. p. 14. n. 28.

[3]) C. J. A. II. n. 332: *Χρεμωνίδης Ἐτεοκλέους Αἰθαλίδης εἶπεν.*

[4]) Koehler. ad C. J. A. II. n. 332: Nomen archontis, quod in lapide *Πειθι-*

quem archontem Dittenberger. (ephem. Hermes II. p. 301.) attribuit ol. 128. 2. aut 3. (= a. $^{267}/_{6}$ aut $^{266}/_{5}$. a. Chr. n.)[1]). Atque recte quidem Köhler. (C. J. A. II. ad n. 332.) illud foedus bellum ipsum antecessisse censet necesse esse, quod ipsius foederis verbis videtur comprobari. Convocantur enim omnes Graeci, ut sicuti maiores contra hostem communem arma capiant: ..... *ὅπως ἂν οὖν κοινῆς ὁμονοίας γενομένης τοῖς Ἕλλησι πρός τε τοὺς νῦν ἠδικηκότας καὶ παρεσπονδηκότας τὰς πόλεις πρόθυμοι μετὰ τοῦ βασιλέως Πτολεμαίου καὶ μετ' ἀλλήλων ὑπάρχωσιν ἀγωνισταὶ καὶ τὸ λοιπὸν μεθ' ὁμονοίας σῴζωσι τὰς πόλεις. ἀγαθῇ τύχῃ δεδόχθαι τῷ δήμῳ, τὴν μὲν φιλίαν καὶ τὴν συμμαχίαν εἶναι Ἀθηναίοις καὶ Λακεδαιμονίοις καὶ τοῖς βασιλεῦσιν τοῖς Λακεδαιμονίων κτλ.*, quod fecisse Athenienses Piraeo ab Antigono iam occupato, bello igitur iam exorto, verisimile mihi non videtur. Foederis enim auctor proprius erat Ptolemaeus Philadelphus, cuius mentio facta est in titulo, qui eo tempore id maxime egit, ut Antigonum in ipsa Graecia quam maxime vexaret: quam ob causam Graecos ad libertatem provocavit suum auxilium promittens: primi tum defecerunt Athenienses ab Antigono itaque bellum exarsit. Si autem Athenienses, antequam foedus ictum et auxilii spes iis esset contra hostem gravissimum, ab Antigono defecissent, imprudentissime rem suam egissent, quod inde verisimile non fit. Itaque foedus illud ante ipsum bellum ictum esse cum Koehlero statuendum esse censeo: post a. $^{266}/_{5}$. a. Chr. n. igitur bellum exarsit.

Arei, Lacedaemoniorum regis, mors (interfectus est pugna apud Corinthum commissa) hisce temporibus lucem affere videri potest. Rex autem erat secundum Diodorum XX. 29. per quadraginta quattuor annos; Cleonymus, cui successit, per sexaginta annos et decem menses, cuius frater Agesipolis, qui Cleombroto patri apud Leuctram (a. 371. ms. Jul.) interfecto successit, per unum annum. Itaque Areus ex Diodori quidem opinione a. 265. a. Chr. n. ms. Maio interfectus est. Attamen recte ipse Droysenius adnotavit l. l. p. 243. n. 1: »Wäre die erste und letzte Zahl so sicher, wie die mittlere, so fiel etc.«,

---

δημος scriptum est, ita emendarunt, ut aut *Πειθύδημος* aut *Πεισίδημος* restituerent; nos ut in re incerta nil mutare satius duximus. In titulis Atticis, si recte meminimus, neque nomen *Πειθύδημος* neque nomen *Πεισίδημος* adhuc inventum est.

[2]) Rangabis Peithodemum archontem fuisse inter ol. 127, 2. et 128. 4. (= $^{271}/_{0}$. -- 265. a. Chr. n) statuerat.

praesertim cum Diodori numeris multum tribui non soleat. Itaque ne ego quidem Diodoro tantum tribuere possum, ut, cum reliqua omnia perbene quadrent, eum sequar. Si autem Diodori numeri hoc loco recti sunt, res ita facile explicari potest, ut Areum brevi ante bellum Chremonideum cum Antigono iam bellasse statuamus: res tum alio modo atque Droysenius eas enarravit inter se cohaerent [1]).

Alia causa bellum Chremonideum post a. 265. a. Chr. n. exortum esse haec est. Alexander enim, Molossorum rex, incursionem fecit in ipsam Macedoniam et Antigonum regem adeo devicit, ut et milites ad eum transfugerent et ipse totum Antigoni imperium expugnaret. Eodem autem tempore aliud et multo gravius periculum Antigono imminuit, de quo dixit Droysen. l. l. p. 239: nam Alexander, Corinthi et Euboeae dominus, Megalopolitani, Argivi, alii defecerant, Aegyptii magna classi mare obtinebant, ut Antigonus rex Macedonia relicta meridiem versus proficisci deberet, ut rem suam a detrimento longe maximo defenderet. Absente autem Antigono »huius filius Demetrius, puer admodum, absente patre reparato exercitu non solum amissam Macedoniam recepit, verum etiam Epiri regnum Alexandrum spoliat. Tanta vel mobilitas militum vel fortunae varietas erat, ut vicissim reges nunc exules, nunc [exules] reges viderentur«. (Iustin. XXVI. 2. 11. seq.) Iam exoritur quaestio de Demetrio illo victore puero, quem Iustin. et Euseb. Arm., quorum alter alterum non excripsit, Antigoni filium appellant. Genuit hunc Demetrium Antigonus sine dubio ex Phila, Antiochi regis sorore, quam in matrimonium duxit finito bello cum Antiocho a. $^{278}/_{7}$. a. Chr. n.; itaque Demetrius, cum Alexandrum devinceret, quas res ego post a. 264. a. Chr n. gestas esse statuo, aetatis annum fere quintum vel sextum decimum egit: optime igitur Iustinus et Eusebius eum »puerum admodum« appellaverunt. — Droysen. autem, qui eas res ante a. 265. a. Chr. n. actas esse statuit, Iustinum et Eusebium, quamquam alter alterum non habuit fontem, ambos errasse statuere debet, quoniam secundum suam rerum dispositionem Demetrius ille filius Antigoni annum aetatis duodecimum nondum assecutus esse potuit. Itaque Antigoni fratrem quemdam Demetrium victorem fuisse statuit, cf. l. l. p. 238. n. 1: si igitur meam

[1]) Cf. autem infra p. 76. n. 1.

temporum dispositionem sequeris perbene omnia sese habent neque error statuendus est, si Droysenii, est statuendus. —

Iam accedamus ad aliam quaestionem! Antigonus enim Thrasonem amicum Athenas misit petiturum in contione publica, ut Zenonem philosophum in Ceramico sepelirerent (Diog. L. VII. 15.); promulgavit deinde rogationem illam celeberrimam: *ἐπειδὴ Ζήνων Μνασέου Κιττιεὺς ἔτη πολλὰ κατὰ φιλοσοφίαν ἐν τῇ πόλει γενόμενος ἔν τε τοῖς λοιποῖς ἀνὴρ ἀγαθὸς ὢν διετέλεσε καὶ τοὺς εἰς σύστασιν αὐτῷ τῶν νέων πορευομένους παρακαλῶν ἐπ' ἀρετὴν καὶ σωφροσύνην παρώρμα, πρὸς τὰ βέλτιστα παράδειγμα τὸν ἴδιον βίον ἐκθεὶς ἅπασιν, ἀκόλουθον ὄντα τοῖς λόγοις οἷς διελέγετο. ...* (Diog. L. VII. 10.) Ad quae Droysen. l. l. p. 229. n. haec adnotavit: »Diess kann natürlich nicht während des chremonideischen Krieges geschehen sein; da wäre ein attischer Bürger (Thrason), der als Gesandter des feindlichen Monarchen kam, nicht zugelassen ein Psephisma zu beantragen; — auch nicht nach der Unterwerfung: sonst hätte Antigonus nicht unterhandelt, sondern befohlen!« — Iam de Atheniensium ipso plebiscito disserendum mihi est. Decretum est *ἐπ' Ἀῤῥενίδου ἄρχοντος ἐπὶ τῆς Ἀκαμαντίδος πέμπτης πρυτανείας Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ὑστέρᾳ τρίτῃ καὶ εἰκοστῇ τῆς πρυτανείας ἐκκλησία κυρία τῶν προέδρων ἐπεψήφισεν Ἵππων, Κρατιστοτέλης, Ξυμπετέων, καὶ οἱ συμπρόεδροι, Θράσων Θράσωνος Ἀνακαιεὺς εἶπεν. κτλ.* (Diog. L. l. l.). Arrhenidem autem archontem C. Fr. Hermann in a. $^{268}/_{7}$ a. Chr. n. (ol. 128. 1.) referendum esse censuit [1]). In novissima autem (V.) antiquitatum editione (cf. fastos libro adiectos) eum archontem a. 260. a. Chr. n. (= ol. 129.4.) edd. tribuerunt: quaenam causa viros doctissimos commoverit vix patet. Falsum esse eum annum iam ex eo consequens est, quod Athenae tum plane oppressae erant: nam Antigonus tum imperasset Atheniensibus, ut Zenonem in Ceramico sepelirent, non orasset eos, ut recte Droysenius monuit. Itaque cum nulla causa obstet facillime Arrhenides archon ol. 128. 4. ($^{265}/_{4}$ a. Chr.

---

[1]) Zeitschrift für Alterth. 1845. p. 594: ».... Setzen wir nun den Ausbruch des chremonideischen Krieges mit Droysen (!) um 266 v. Chr., so wird, da dieses nach der Kallippischen Periode ein Schaltjahr ist, Pithodemus jedenfalls dem nächst vorhergehenden, ol. 128.2., und Arrhenides, welchen Herr Droysen diesem Jahr zuweist, ol. 128.1., oder $^{268}/_{7}$. angehören, wohin ja ohne dies Eusebius den Tod des Zeno legt«. At cf. Dittenberger. Hermes II. l. l.

n.) tribui potest[1]). Ea igitur contio, qua Antigono Gonata petente plebiscitum factum est de Zenone honorando, ms. Novembri vel Decembri anni 265. a. Chr. n. erat: anni 264. a. Chr. n. prima parte Zeno philosophus certe mortuus est, ut tum de Zenonis honore summo in contione actum esset, cum unusquisque senem mox moriturum esse iam intellegeret. Nam plebiscitum illud revera ante Zenonis mortem factum esse, quod iam coniecisse videtur v. d. Boeckh[2]), comprobatur ipsius decreti verbis, ut recte statuit R. Koepke l. l. p. 16. Saepius enim honores, qui postea alicui mortuo tribuerentur, iam vivo ei quasi ante diem esse decretos exemplis demonstrari potest: quibus exemplis Zenonis decretum asserendum est. Ipsius decreti verba, quae summam continent: *τύχῃ τῇ ἀγαθῇ δεδόχθαι τῷ δήμῳ ἐπαινέσαι μὲν Ζήνωνα Μνασέου Κιττιέα καὶ στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νόμον ἀρετῆς ἕνεκα καὶ σωφροσύνης· οἰκοδομῆσαι δὲ αὐτῷ καὶ τάφον ἐπὶ τοῦ Κεραμεικοῦ δημοσίᾳ* (Diog. L. VII. 9. 11) certe eam praebent speciem, ut de Zenone vivo dicta sint. Praeterea neque credibile est neque, quod sciam, exemplis confirmari potest, hominem mortuum corona aurea honoratum esse[3]). Vel maximi autem momenti sunt verba, quae tum sequuntur in decreto: *τῆς δὲ ποιήσεως τοῦ στεφάνου καὶ τῆς οἰκοδομῆς τοῦ τάφου χειροτονῆσαι τὸν δῆμον ἤδη τοὺς ἐπιμελησομένους πέντε ἄνδρας ἐξ Ἀθηναίων κτλ*[4]), scilic. Athenienses iam tunc, i. e. Zenone adhuc vivo, quinqueviros coronae faciendae tumuloque si res postulasset

---

[1]) Mecum facere video v. d. Gomperz. cf. Rhein. Mus. N. F. XXXIV. (1879.) p. 155: ».... sicher ermittelte Thatsache (ist) .... dass Zeno von Cition im Monat Skirrophorion des Olympiadenjahres 128. 4. (unter dem bisher nicht fixirten Archon Arrhenides) gestorben ist, also im Sommer des Jahres 264 vor Chr. Geb. oder 1753 nach Abrahams Geburt, wie Hieronymus richtig meldet. Den Beweis hierfür werde ich ein andermal liefern«. Quod num fecerit nescio.

[2]) Staatsh. I. p. 231. n. c. ».... dieser Beschluss ist, denke ich, doch sicher erst nach dem Tode des Zeno geschrieben, wiewohl etwas darin vorkommt, was hiergegen zu streiten scheint, eine Schwierigkeit, die ich andern überlasse zu lösen«.

[3]) Ne laudationem quidem defunctis unquam decretam esse statuit Koepke: hoc plane falsum est, cf. solemne illud Periclis militum defunctorum laudatoris publici exemplum.

[4]) Verba decreti: *ὅπως ἅπαντες ἴδωσιν ὅτι ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων τοὺς ἀγαθοὺς καὶ ζῶντας τιμᾷ καὶ τελευτήσαντας* nil demonstrant.

exaedificando creaverunt[1]). Voculam enim *ἤδη*, qua tempus ante Zenonis mortem accuratissime designatur, quam omisit Aldobrandinus interpres, recentiores Diogenis editores quantum video omnes cum codicibus recte retinuerunt.

Comprobatur igitur hoc quoque argumento, initio anni 264. a. Chr. n. bellum Chremonideum nondum exortum esse.

Quod autem Antigonus rex *διὰ Θράσωνος πρεσβευτοῦ παρὰ τῶν Ἀθηναίων ᾔτησεν αὐτῷ* (Zenoni) *τὴν ἐν Κεραμεικῷ ταφὴν* (Diog. L. VII. 15.)[2]), id non solum propter amicitiae vinculum certe artissimum, quod intercesserat inter regem et philosophum senem, factum esse statuerim. Athenienses enim sine dubio ultro istum senem apud eos honoratissium (Diog. L. VII. 6: *ἐτίμων δὴ οὖν Ἀθηναῖοι σφόδρα τὸν Ζήνωνα οὕτως ὡς καὶ τῶν τειχῶν αὐτῷ τὰς κλεῖς παρακαταθέσθαι.*) illo honore dignum habuissent. Suberat sine dubio alia causa. Antecessit enim plebiscitum, de quo modo egimus, foedus illud Atheniensium cum Lacedaemoniis et aliis Graeciae civitatibus, quod contra se ipsum compositum esse Antigonus haud nesciebat. Atque cum eius permultum tum interesset ut Athenienses amicos haberet (Areus Lacedaemoniorum rex fortasse suo Marte iam bellabat vel bellum illaturus erat), omni modo id egit, ut se Atheniensium gloriae et usui semper studere et consulere demonstraret. Itaque misit Thrasonem Athenas de honorando Zenone, qui Atheniensium et Antigoni amicitiam quam maxime ursisset. Ea vel similia regem tum certe commoverunt.

Secundum meam igitur temporum dispositionem bellum Chremonideum exarsit anni 264. a. Chr. n. parte posteriore. Eodem anno Galli apud Megaram devicti et Lacedaemonii reiecti sunt[3]). Hieme deinde vel vere a. 263. a. Chr. n. Alexander, Molossorum

---

[1]) Cf. C. I. A II. n. 331 .... *χειροτονῆσαι δὲ τὸν δῆμον ἤδη τρεῖς ἄνδρας ἐξ Ἀθηναίων οἵτινες ἐπιμελήσονται τῆς δὲ ποιήσεως τῆς εἰκόνος καὶ τῆς ἀναθέσεως κτλ.* (titulus eiusdem temporis) est igitur *ἤδη* i. q. »schon jetzt«, »sofort schon«

[2]) Hic addere liceat Roeperi (Philol. Gott. IX. p. 29.) sententiam: »Das VII., 15. berichtete Factum ist nicht mit demselben (plebiscit. a Thrasone rogatum) identisch und kann sehr wohl als eine vom Antigonus unter veränderten Zeitumständen ausdrücklich begehrte Vollziehung des bisher nicht erfüllten Theiles jenes Beschlusses angesehen werden«. Contra quem vide quae disputavit R. Koepke. de Arati Solensis aetate progr. gymn. Gub. 1867 p. 15. n. 30.

[3]) Iustin. XXVI 2.

rex, Macedoniam devastavit, brevi post Aegyptii apud insulam Con superati sunt, aestate Areus apud Corinthum inferfectus est[1]). Eodem certe anno Antigonus contra Alexandrum, Corinthi dominum, bellavit et Athenas frustra aggressus est: anno deinde 262. a. Chr. n. Athenae expugnatae sunt. Hoc enim anno Athenas captas esse optime demonstratur Philemonis poetae comici morte, quem anno 262. a. C :r. n. paullo ante urbis expugnationem diem ultimum obiisse statuit v. d Meineke [2]) Wesselingio (ad Diod. Sic. XXIII. 7.) nisus, qui omnia quae ibi narrantur a. 262. a. Chr. n. gesta esse docuit: haec non satis respexisse videtur Droysenius, nam quae statuit l. l. p. 244. n. 4. »Der Tod Philemons ... ist ... vor der Belagerung von Agrigent (Juni-December 262.) erzählt; Diodor wird ihn am Schluss des vorangehenden Jahres, wie er es pflegt, aufgeführt haben«, ut consentiret annus cum rerum connexu, qualem ipse constituit, meam sententiam non refutant. Ceterum Peter. quoque (Griech. Zeittaff) Wesselingium recte secutus est.

Atque ea quidem hoc loco de bello Chremonideo sufficiant: pugna igitur navalis apud Con referenda est in annum 263. a. Chr. n. Ante eam autem cladem Theocriti carmen XVII., ut supra demonstrare studui, compositum esse debet. Praeterea autem hoc carmen post nuptias Philadelphi et Arsinoae II., quae celebratae sunt circa annum 266. a. Chr. n., scriptum esse statui: itaque fit verisimillimum, carmen de quo agimus, cum Theocritus nuptias illas summopere celebret (cf. vss 129. seqq.) et Philadelphum appellet *νυμφίον* (vs. 130.), brevi post illum annum compositum esse. Immo nec hoc quidem omni veritatis specie carere videri potest, hoc carmen ad ipsos dies festos, quibus celebratae sunt nuptiae conscriptum esse.

---

[1]) Si Diodori lect. vulg. sequeris hae res, uti dixi, ante bellum Chremonideum actae esse debent. — Librariorum error in eo loco Diodori videtur inesse: pro *IIII* (qui est ultimus numerus) legendum propono *ΠΙΙ*; tum regnavit Areus quadraginta septem annos et interfectus est anno 262. a. Chr. n., quo simul omnes difficultates tolluntur.

[2]) Menandri et Philemonis frgm. ed. Meineke. ed. mai. p. XLVI. Coll. Suid. s. v. *Φιλήμων. πολεμούντων δὲ Ἀθηναίων καὶ Ἀντιγόνου (ἐν) Πειραιεῖ διαιτώμενος ὁ Φιλήμων ὄναρ ὁρᾷ .... καὶ οἵγε ἔνδον ᾤοντο καθεύδειν αὐτόν· ἐπεὶ δὲ μακρὸν τοῦτο ἦν, ἐκκαλύψαντες τεθνεῶτα ἐθεάσαντο.* Anno igitur 262/61. a. Chr. Athenae captae sunt.

Ut omnia autem explanentur et nobiscum faciant disserendum est de provinciarum, quas Theocritus inde a vs. 86. ad 92. usque enumerat, statu et fatis. Antecessit quidem Haulerus vel, quem plane excripsit, Droysenius, ita tamen, ut eas provincias omnes ad secundum bellum Syrum referret. Meum igitur erit demonstrare, eas provincias antea iam Philadelphi esse potuisse. Praemonendum autem mihi videtur res eius aetatis adeo permixtas tantisque tenebris involutas esse, ut aliquid certum et ab omni parte confirmatum statuere difficillimum sit. Quod neminem unquam fugit: itaque Thrige, rerum illarum perscrutator gravissimus, id bellum quod appellat Droysen. secundum Syrum, revera nunquam fuisse scripsit (Res Cyren. p. 237. monuit ipse Droysen.!) — Contra Droysenio fuisse id bellum persuasum est: quamquam dubitans id scripsisse et statuisse videtur, cum unus scriptor eius mentionem facere videatur; est St. Hieronymus in Daniel. XI. 6., qui Antiochum, Syrorum regem, »bella quam plurima« cum Ptolemaeo Philadelpho gessisse scripsit. Solus hic locus extat, ex quo Droysen. l. l. p. 318. secundum, quod appellavit, bellum Syrum enucleavit. Id bellum revera fuisse, sic fere scripsit, comprobare poetam aequalem: in carmine enim Theocriti XVII., quod inter illius belli tumultus, cum plurima Philadelpho iam evenissent, scriptum esset (causas autem non attulit nisi eas quas ex provinciarum catalogo sumpsit!) poetam sic fere narrare, etc. Ad quae haec adnotavit (n. 4.): »Diese chronologische Angabe beruht darauf, dass nur im Laufe dieses Krieges Ptolemaeus die Landschaften besass, welche Theokrit aufzaehlt; im Frieden (i. e. anno 248. a. Chr. n.) trat er mehrere ab«[1]). Quod num sit rectum nunc videamus! In defendenda autem et explicanda mea sententia eam viam ingrediar, quam ipse provinciarum catalogus ostendit et Haulerus quoque l. l. p. 19. ingressus est. Praeterea ex eo, quod monumentum Adulitanum (C. I. Gr. III. n. 5127.) de Ptolemaeo Euergete haec exhibet: *παραλαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν βασιλείαν, Αἰγύπτου καὶ Λιβύης καὶ Συρίας καὶ Φοινίκης καὶ Κύπρου καὶ Λυκίας καί Καρίας καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων* ... et Theocritus praeter eas

[1]) Hanc Droysenii ratiocinationem valde lubricam esse patet: nam ex provinciarum catalogo carmini inserto ipsum carmen hoc bello iam exorto esse conscriptum et ipsum bellum revera tum fuisse ex huius carminis anno natali conclusit: circulus vitiosus, uti mihi quidem videtur.

habet Pamphyliam, Ciliciam, Arabiam, Aethiopiam (excepta insula Cypro), Ptolemaeum Philadelphum sub finem imperii hasce quidem provincias amisisse elucet.

Orditur autem Theocritus id. XVII. 86. hoc modo:

καὶ μὴν Φοίνικας ἀποτέμνεται Ἀρραβίας τε
καὶ Συρίας Λιβύας τε κελαινῶν τ' Αἰθιοπήων . . .

i. e. Phoenicae, Arabiae, Syriae, Libyae, Aethiopiae partes eius imperio subiectae sunt: hic enim est sensus verbi *ἀποτέμνεται*.

a.) Atque Phoenice quidem et Syria, i. e. Coelesyria, quae vocatur, inde ab anno 280. a. Chr. n. (cf. Droysen. l. l. p. 256.) Ptolemaei Philadelphi regno assignatae erant. Eo enim anno Philadelphus rex Antiocho I. Soteri modo regnum asseruto (281—261. a. Chr. n.), cum rebellionibus omnis generis maxime vexaretur, provincias illas ademit. Pater enim Ptolemaeus I. Soter antea ea conditione Seleucum adiuverat contra Antigonum, ut sibi illae provinciae, quae tum erant Antigoni, pace facta tribuerentur: postea autem Seleucus sui ipsius regno assignaverat. Eo igitur iuris titulo usus Ptolemaeus Philadelphus tum eas provincias ad se vindicavit. Quod ut faceret eo inprimis est commotus, ut recte monet ipse Droysen., quod earum regionum incolae Philadelphi dominationi ultro subiecti esse volebant. (l. l. p. 61. 69.). Eae quidem provinciae usque ad secundum bellum Syrum et longius, quod statuit Droysen., Philadelphi erant, excepta urbe Arado, quantum nos videre possumus. Eius enim urbis incolae ab anno $^{259}/_{8}$. a. Chr. n., ea sine dubio commoti re, quod tum Antiochus II., qui vocatur Theos. (261—246. a. Chr. n.), urbem liberam declaravit (Droysen. l. l. p. 320 seq.), novam annorum numerandorum rationem coeperunt. Itaque Theocritus, cum a. $^{266}/_{5}$. a. Chr. n. idyllium XVII. componeret, Syriae et Phoenicae partes Philadelpho subiectas esse recte scripsit (*ἀποτέμνεται*.).

b.) Arabia et Aethiopia: quo tempore harum terrarum partes sibi subiecerit Ptolemaeus Philadelphus nos quidem, cum nullum scriptores nobis servaverint testimonium, plane nescimus. Ea autem quae Hauler. l. l. p. 19. de hac re disseruit: »Droysenius autem magna probabilitate effecit, Philadelphum solummodo post illam pacem, quae anno 265. ab Aegypti, Syriae, Macedoniae, Cyrenae regibus facta est, has terras expugnare potuisse«, si novam epigonorum historiae editionem inspexeris, falsa videbuntur tibi (cf. p.

307.). Nam Droysenius ipse multo ante bellum Chremonideum Philadelphum in eas regiones incursiones fecisse verisimile esse statuit: partes igitur earum regionum (ἀποτέμνεται), quod dicit poeta aulicus et blandiens, Philadelphi tum certe iam fuerant [1]).

c.) Libyae quoque partem Aegypti tum provinciam fuisse docet Theocritus. Eo quidem nomine proprie regionem inter Cyrenam et Aegyptum sitam designari recte adnotavit Droysenius. Atque cum ea provincia semper fuerit Philadelphi, iure in catalogo exstat. Si vero Theocritus sicut Callimachus (hymn. in Apoll. vs. 66.) hoc nomine Cyrenam quoque designavit, res eo explananda est, quod Magas quidem primo bello cum Ptolemaeo gesto plane victus est (ante a. 266. a. Chr. n. cf. Droysen. p. 270. n. 2. extr.). Nam si Magas hoc bello se dominum liberum iam constituisset consensu Philadelphi, manus et consilia primo bello Syro cum Antiocho et Antigono non consociasset: revera Magas Philadelpho tum subiectus erat. cf. Droysen. p. 57. 269. seqq.

d.) Leguntur apud Theocritum tum haec:

vs. 88: *Παμφύλοισί τε πᾶσι καὶ αἰχμηταῖς Κιλίκεσσι*
σαμαίνει, Λυκίοις τε φιλοπτολέμοισί τε Καρσί,
καὶ νάσοις Κυκλάδεσσι, ἐπεὶ οἱ νᾶες ἄρισται
πόντον ἐπιπλώοντι, θάλασσα δὲ πᾶσα καὶ αἶα
καὶ ποταμοὶ κελάδοντες ἀνάσσονται Πτολεμαίῳ. κτλ.

Sunt hae provinciae, quae a meridie Asiae minoris et ad mare sitae sunt. Eas quidem Ptolemaeum nonnisi secundo bello Syro expugnasse Droysenius statuit p. 318. n. 4. Attamen nullam video causam, cur id tam firmum in medium proferre potuerit vir doctissimus. Nititur quidem Theocriti idyllio, de quo agimus, in disponendis his temporibus atque definiendis annis: at idem nititur hisce annis crassis tenebris circumfusis ad definiendum illius idyllii tempus; neutra res firma est, itaque eo quod alteram altera vult definire et dilucidare nil dilucidat (Cf. p. 318. c. nott.). Atque cum idyllii XVII. tempus secundum meam quidem rerum computationem plane aliud sit, eas quidem provincias tum (a. $^{266}/_{5}$. a. Chr. n.) Ptole-

---

[1]) De Aegyptiorum commercio cum istis terris cf. Plin VI. 29. Diod. I. 36. 37. Drumann: Inschr. von Rosette. p. 195. etc. Respicias praeterea poetam aulicum loqui, qui regis potentiam ultro augeat.

maei iam fuisse nil vetat nos statuere. Quod quidem alia causa videtur comprobari: nam quod dixit Theocritus *Παμφύλοισί τε πᾶσι, θάλασσα δὲ πᾶσα καὶ αἶα κτλ.* designare videtur eas quidem regiones Ptolemaeo Philadelpho plane subiectas et omnino pacatas esse. Neque audacius statuere mihi videor, Arsinoam, Berenicam, Philadelpheam Ciliciae urbes, Ptolemaidem Pamphyliae, Arsinoam, Pataram Lyciae ad confirmandum Aegyptiorum imperium conditas tum iam fuisse, quoniam designare et indicare videntur terras plane subiectas. Verisimile autem mihi non videtur, eius belli, quod per decem deinceps annos ductum est secundum Droysenium (259. sive 258.—248. a. Chr. n.), primo vel secundo anno (nam circa a. $^{259}/_{8}$. Haulerus Droysenium secutus carmen compositum esse vult.) tot tantasque provincias iam expugnatas et adeo pacatas fuisse, ut locus ille Theocriteus videtur postulare.

e.) De insulis Cycladibus idem dicendum est (cf. Droysen. l. l. p. 243. 329. 344. 348.), praesertim cum Patroclus Ptolemaei classis dux secundum Athen. XIV. p. 621. a. in mari Aegaeo stationem habuerit circa a. 266. a. Chr. n., a quo tunc Sotades poeta, qui regem Philadelphum et Arsinoam uxorem carminibus perstrinxerat, Cauni, quae erat insula Cariae assita, captus est [1]). Quantum praeterea ante a. 264. a. Chr. n. Aegyptii etiam in Ponto valuerint ostendit Stephanus Byz. s. v. *Ἄγκυρα. Μιθριδάτῃ καὶ Ἀριοβαρζάνῃ νεήλυδας τοὺς Γαλάτας συμμαχήσαντας διῶξαν τοὺς ὑπὸ Πτολεμαίου σταλέντας Αἰγυπτίους κτλ.*, nam Mithridatem mortuum esse a. 264. a. Chr. n. omnino constat. Quo accedit, quod Ptolemaeus Philadelphus tum Heracleam, Amastrim, Tium, Cassandream urbes, quas Lysimachus olim Arsinoae uxori (quam Philadelphus a. 266. a. Chr. n. in matrimonium duxit,) donaverat, regno suo assignare studuit. Cf. Droysen. p. 272. Addas, quod Ephesus, Samos, Cos etc. tum Philadelphi certae erant possesiones: cf. Droysen. p. 320. 331. seq. 380. al. [2]).

---

[1]) Athen. l. l. *ἐκπλεύσαντα γὰρ αὐτὸν τῆς Ἀλεξανδρείας, ὥς φησιν Ἡγήσανδρος . . καὶ δοκοῦντα διαπεφευγέναι τὸν κίνδυνον· εἰρήκει γὰρ εἰς τὸν βασιλέα Πτολεμαῖον πολλὰ δεινὰ ..... Πάτροκλος οὖν ὁ τοῦ Πτολεμαίου στρατηγὸς ἐν Καύνῳ τῇ νήσῳ λαβὼν αὐτὸν καὶ εἰς μολυβῆν κεραμίδα ἐμβαλὼν καὶ ἀναγαγὼν εἰς τὰ πέλαγος κατεπόντωσε.*

[2]) Droysen. p. 242. n. 1: »Es ist möglich, dass Antigonus eben jetzt (bello Chremonideo) mehrere der kykladischen Inseln in Besitz nahm, doch kann dies auch

f.) Quod vero insula Cyprus in eo provinciarum catalogo non nominatur mirum certe est; ut discrimen illud tolleretur Vossius pro *καὶ Συρίης* legendum proposuit *Κύπρου τε,* Niebuhrius versum excidisse putavit, Haulerus insulam tum defecisse neque sedatam fuisse eamque ob causam a Theocrito omissam esse coniecit, Droysen rem in dubio reliquit [1]). Ex mea opinione poeta eadem adductus causa qua Cyrenam etiam hanc insulam omisit. Nam Cyrene quidem proprium habebat regem, qui tamen Ptolemaeo subiectus erat: eodem statu liberiore Cyprus quoque fruebatur per illud tempus (Droysen. p. 56.). Quod etiam nummi videntur indicare: Cyrenaici effigies Magae et Ptolemaei iuxta positas, Cyprii effigiem Ptolemaei cum urbium nominum literis initialibus habent: *ΠΑ(φος) ΣΑ(λαμις), ΚΙ(τιον) κτλ.* Cf. Droysen. p. 56. n. 2.

Atque ea quidem de provinciarum catalogo! — Quo melius autem omnia sese habeant eorum quae adhuc disputavi summam in medium proferam. Conscriptum est idyllium paullo post nuptias Philadelphi et Arsinoae a. 266. a. Chr. n. summo splendore celebratas, cum et mentionem faciat poeta nuptiarum et rex appelletur *νυμφίος*, conscriptum est ante cladem Coensem, quoniam ea insula summis cumulatur laudibus, quibus poeta aulicus et blandiens, qualem se hoc carmine praebuit Theocritus, quamquam erat ea insula regis patria, certe abstinuisset, si clades illa fatalis iam fuisset. De anno autem illius pugnae et tempore belli Chremonidei falsa statuit Droysenius: referenda est clades in annum 263. a. Chr. n.; bellum Chremonideum inde ab anno 264. a. Chr. (aestate) ad 262. (vel 261.) usque gestum est.

Eam sententiam, quam de hoc carmine in medium protuli, comprobare videntur id. XVI. vs. 95:

ὄλβῳ μὲν πάντάς τε καταβρίθοι βασιλῆας·
τόσσον ἐπ' ἆμαρ ἕκαστον ἐς ἀφνεὸν ἔρχεται οἶκον ‖ πάντοθε κτλ:

ea enim ante cladem gravissimam illam optime dici poterant, quoniam tum Philadelphus revera rex potentissimus neque pugnis, quantum nos videre possumus, devictus erat. Revera istis temporibus, qui-

in dem nächst späteren Kriege geschehen sein« Itaque ipse Droysen Cyclades Philadelphi tum fuisse concedit.

[1]) Droysen. p. 319. n. 1: »... das Auslassen von Kypros ist allerdings bei unsern Hülfsmitteln unerklärlich«.

bus secundum meam sententiam compositum est hoc carmen, Ptolemaeus ὄλβῳ i. e. omnis felicitatis copia reliquos reges, quos partim bellis iam devicerat, superabat. Illis autem temporibus, quibus Droysenius carmen compositum esse statuit, cum potentissimi eius aetatis regis manus et consilia consociassent, ut unum Philadelphum opprimerent, in dubium omnia vocata erant: atque cum etiam bellum gravissimum et cladium plenum antecessisset poetam aulicum ab omnium cladium gravissimae nomine infesto ordientem regem Philadelphum felicissimum et semper victorem esse tum pronuntiasse num verisimile videri potest? —

Iam ad alias quaestiones accedamus! Mirum autem est, quod hoc idyllium tantam cum hymnis Callimacheis similitudinem habet, ut re accuratius perpensa alterum poetam alterum imitando expressisse non sine omni veritatis specie statuas. Atque primum quidem hoc idyllium comparemus cum Callimachi hymno in Iovem.

Similitudinem autem haec duo carmina iam eam habent, quod utrumque scriptum est ad celebrandum Ptolemaeum II. Philadelphum. Eius regis tum potentissimi gloriam uterque poeta sibi sumpsit praedicandam eiusque potentia efficit illud fundamentum, in quo ambo carmina a poetis aequalibus condita sunt. Accedunt autem res ideo vel gravissimae, quod alterum poetam alterius carmen respexisse et ante oculos habuisse — Theocritum hunc hymnum Callimacheum ut infra demonstrabo — aperta in iis insunt vestigia. Ordiamur autem ad id demonstrandum a rebus levioribus vel, ut ita dicam, exterioribus. Statim initium hymni Callimachei

Ζηνὸς ἔοι τί κεν ἄλλο παρὰ σπονδῇσιν ἀείδειν
λώιον ἢ θεὸν αὐτὸν ἀεὶ μέγαν, αἰὲν ἄνακτα;

Theocritus hisce expressit:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα καὶ ἐς Δία λήγετε Μοῖσαι,
ἀθανάτων τὸν ἄριστον ἐπὴν κλείωμεν ἀοιδαῖς. κτλ [1]).

---

[1]) De Ἀρατείᾳ εἰσβολῇ, quam dicit schol., vid. quae infra disputavi. — Theocritum sine dubio imitatus est Verg. ecl. 3.60: ab Iove principium Musae. Vergilium expressit Horatius od. 3.6: Hinc omne principium. Cf de hisce anonymum quemdam, qui in Rh. Mus. N. F. vol. XXXIII. p. 491. sub nota σFj. Goebelii (in lexicol.) spirandi rationem tecte perstrinxit; idem vero et Vergilium Horatii et Horatium Vergilii eodem loco statuit imitatorem, quod recte adnotavit Cauer. ephem. gymn. XXXIII. 1879. ms. octobr. p. 259.

Exitus quoque Theocriti carminis XVII. ad Callimachi exemplar compositus est:

Call. vs. 94: *χαῖρε πάτερ, χαῖρ' αὖθι, δίδου δ'ἀρετήν τ' ἄφενός τε*
οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν,
οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο. δίδου δ'ἀρετήν τε καὶ ὄλβον.

Theocr. vs. 135. *χαῖρε ἄναξ Πτολεμαῖε· σεθεν δ'ἐγὼ ἶσα καὶ ἄλλων*
μνάσομαι ἡμιθέων, δοκέω δ'ἔπος οὐκ ἀπόβλητον
φθέγξομαι ἐσσομένοις· ἀρετήν γε μὲν ἐκ Διὸς αἰτέω.

Nam ideo Theocritus *ἀρετήν* i. e. virtutem expetit, quia in antecedentibus multis verbis de Aegypti *ὄλβῳ* locutus est: Callimachus quidem in universum de sui regis potentia et virtute dixerat, itaque quo magis confirmetur oratio omnia iterum amplexus expetit *ἀρετήν τε καὶ ὄλβον* [1]) Antecessit quidem aliquo modo Homerus, qui in Od. XIII. 45. haec habet: *θεοὶ δ'ἀρετὴν ὀπάσειαν ‖ παντοίην, καὶ μήτε κακὸν μεταδήμιον εἴη*: attamen noli credere illum locum Theocrito obversatum esse. Nam tum sine dubio et ipse eam clausulam proverbii loco adiecisset. Praeterea autem tanta intercedit similitudo inter locum Callimacheum et Theocriteum, ut hunc quidem Callimachum, non Homerum imitatum esse statuendum sit: composuit clausulam iisdem fere verbis atque Callimachus et ne tres quidem versus sine causa iisdem explevit, quoniam Callimachus inde a. vs. 94. latiore pectore suspirans ea quae sunt sane expetenda expetivit; invocat Iovem sicuti Callimachus et eodem fere hemistichio, quod est ultimum apud utrumque, omnia complectitur. Itaque ne hoc quidem credo, Theocritum suo Marte exordio et exitu imitatum esse hymnos Homericos; Callimachum eos imitatum esse manifestum videtur esse, hunc vero et ita hymnos Homericos Theocritus est imitatus: ita rem sese habere comprobabunt, ni me fallit opinio praeiudicata, ea quae sequuntur.

Simillimus deinde transitus ad rem propositam in utriusque carminis prooemio extat; Callimachus: *ἐν δοιῇ*, inquit, *μάλα θυμός, ἐπεὶ γένος ἀμφήριστον,* alii enim in Ida monte, alii in Arcadia te

[1]) Hisce Stoicorum doctrinam *αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν* perstringere Callimachus videtur A. Chlebowskio: de Callimachi hymno in Iovem. progr. gymn. Rössel. 1879. p. 41.

natum esse narrant; Cretenses vero apud se esse tuum sepulcrum contendunt; unde igitur ordiar? Theocritus, postquam vs. 8: *ὕμνοι δὲ καὶ ἀθανάτων γέρας αὐτῶν* sententiam vs. 1. seq. hymni in Iovem repetivit, se cum lignatore comparans, qui in Ida, quam appellat Theocritus Callimachum secutus, propter arborum copiam circumspicit, ubi caedere incipiat: unde, inquit, ordiar, cum tot extent facinora, *ἐπεὶ πάρα μυρία εἰπεῖν, ‖ οἷσι θεοὶ τὸν ἄριστον ἐτίμησαν βασιλήων.*

Finito exordio uterque poeta ad res ipsas progreditur: sicuti autem Callimachus gravissimo illo *ἐν δέ σε Παρρασίῃ Ῥείη τέκεν*[1]) *κτλ.* omnes errores diffundens et hanc esse veram Iovis patriam praedicans primordia dei celebrat, ita Theocritus sollemni illo: *ἐκ πατέρων οἷος μὲν ἔην κτλ.* omnem anxietatem, unde ordiatur, cum tanta adsit multitudo, deponens, se de maioribus, de patria, de toto genere Philadelphi locuturum esse praedicit; quales enim maiores talem ipsum Philadelphum esse. Eam deinde sequitur rerum dispositionem, quam Callimachus: celebrat regis parentes et maiores, (— vs. 57.), sicuti Callimachus quidem Rheae matris curam et Iovis primordia describit (— 53.). Iovem Neda nympha et insula Creta nutrivit (hymn. vs. 33—65.), Philadelphum insula Cos et eius nympha (id XVII. 58—70.). Sequuntur tum loci gravissimi: Callimachus enim eo loco, quem designavi (vs. 68.): Tu Iuppiter, inquit, *θήκαο δ' οἰωνῶν μέγ' ὑπείροχον ἀγγελιώτην ‖ σῶν τεράων, ἅτ' ἐμοῖσι φίλοις ἐνδέξια φαίνοις,* statimque Theocritus, qui in describenda vita Philadelphi eodem progressus est atque Callimachus in Iovis, argumento Callimacheo utens addit: *ὁ δ' ὑψόθεν ἔκλαγε φωνᾷ ‖ ἐς τρὶς ἀπὸ νεφέων μέγας αἰετὸς αἴσιος ὄρνις. ‖ Ζηνός που τόδε σᾶμα* (vs. 71.). Mire deinde consentit Theocritus cum Callimacho: Aquilae enim mentione facta Callimachus solos reges Iovi cordi esse dicit: aliorum mortalium curam deum potentissimum diis minoribus tradidisse; atque quo magis haec confirmentur vs. 79. seq. summam repetens: *ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες,* inquit, *ἐπεὶ γένος*[2]) *οὐδὲν ἀνάκτων ‖ θειότερον· τῷ καί σφι τεὴν ἐκρίναο λάξιν.* Quamquam non omnes reges, sic pergit Callimachus, pariter tibi cordi

[1]) Hunc ipsum versum expressit Theocritus vs. 122: *ὧδε καὶ ἀθανάτων ἱερὸς γάμος ἐξετελέσθη, ‖ οὓς τέκετο κρείουσα Ῥέα βασιλῆας Ὀλύμπου.*

[2]) Sic lego cum Meinekio. Chlebowski. l. l. p. 36. seq. Heckeri lectionem non recte tuetur. Cf. quae disputavit Meineke. Diatribe p. 133.

sunt: vs. 83: *ἐν δὲ ῥυηφενίην ἔβαλές σφισιν, ἐν δ'ἅλις ὄλβον,* ‖ *πᾶσι μέν, οὐ μάλα δ'ἶσον· ἔοικε δὲ τεκμήρασθαι* ‖ *ἡμετέρῳ μεδέοντι· περιπρὸ γὰρ εὐρὺ βέβηκεν.* Ea quidem verbotenus expressit Theocritus: postquam enim sicut Callimachus avis sacrae mentionem fecit, pergit hoc modo vs. 73: *Διὶ Κρονίωνι μέλοντι* ‖ *αἰδοῖοι βασιλῆες· ὁ δ'ἔξοχος, ὅν κε φιλήσῃ* ‖ *γεινόμενον τὰ πρῶτα* (scilic. Philadelphum)· *πολὺς δέ οἱ ὄλβος ὀπαδεῖ.*

Tum in utriusque carmine Philadelphi imperii et divitiarum domesticarum sequitur descriptio, ita tamen, ut Callimachus verbis latius patentibus potentiam regalem in universum definiat (vs. 87—91): contra Theocritus ea quae Callimachus lineolis tantummodo, ut ita dicam, definivit, latius et summo splendore illustravit: Callimachus igitur, ut exemplum a pictoribus petam, delineavit, Theocritus illustravit coloribus eandem picturam. Atque primum quidem Theocritus hymni vs. 84: *ἐν δ'ἅλις ὄλβον* explicat, scilicet patriae felicitatem summam, tum Callimachi verba (vs. 86. seqq.) *περιπρὸ γὰρ εὐρὺ βέβηκεν.* ‖ *ἑσπέριος κεῖνός γε τελεῖ τά κεν ἦρι νοήσῃ·* ‖ *ἑσπέριος τὰ μέγιστα, τὰ μείονα δ'εὖτε νοήσῃ* (»longe alios reges praetergressus est: sub vesperum ille quidem perficit quaecunque mane excogitavit, sub vesperum maiora, minora quidem (perficit) ubi primum excogitavit«) illustrat versibus inde ab 86. ad 94. usque: Ptolemaeus Philadelphus hostibus devictis imperio suo novas provincias assignavit, itaque ipse quidem *περιπρὸ εὐρὺ βέβηκεν*[1]). Deinde illustrat Theocritus Callimachi versus 89. seq: *οἱ δὲ τὰ μὲν πλειῶνι τὰ δ'οὐχ ἑνί, τῶν δ'ἀπὸ πάμπαν* ‖ *αὐτὸς ἄνην ἐκόλουσας, ἐνέκλασσας δὲ μενοινήν*, scilic. »tu Iuppiter ea, quae assequi studebant reliqui, imperfecta reliquisti et totum studium fregisti«. Ea verba, quae Ptolemaeum victorem felicissimum designant, mea sententia referenda sunt ad bella Philadelphi cum Macedoniae et Syriae regibus. Eos igitur versus Theocritus illustravit inde a. vs. 95., inprimis autem inspicias hos:

95: *ὄλβῳ μὲν πάντας κε καταβρίθοι βασιλῆας.*
98: *οὐ γάρ τις δηίων πολυκήτεα Νεῖλον ὑπερβὰς*
πεζὸς ἐν ἀλλοτρίαισι βοὰν ἐστάσατο κώμαις. κτλ.

[1]) Non est mutanda codicum lectio: certe 'insolenter est dictum' *εὐρὺ βέβηκεν* (Meinek.), tamen defendi potest Homerico illo *μακρὰ βιβάς, μακρὰ βέβηκεν* et sim., ut sit *εὐρὺ βέβηκεν* 'late egressus est', *περιπρὸ εὐρὺ βέβηκεν* reliquos late praetergressus est'.

102: *τοῖος ἀνὴρ πλατέεσσιν ἐνίδρυται πεδίοισι*
ξανθοκόμας Πτολεμαῖος ἐπιστάμενος δόρυ πάλλειν,
ᾧ ἐπίπαγχυ μέλει πατρώια πάντα φυλάσσειν
οἷ ᾽ ἀγαθῷ βασιλῆι, τὰ δὲ κτεατίζεται αὐτός.

Sequitur tum in Theocriti carmine festiva Aegypti et domus regalis felicitatis descriptio, quae respicit Callimachi vss. 91. seqq: *χαῖρε μέγα, Κρονίδη πανυπέρτατε, δῶτορ ἐάων, ‖ δῶτορ ἀπημονίης* (scilic. qui hostes fugas.), *τεὰ δ' ἔργματα τίς κεν ἀείδοι; κτλ.* Restat clausula tres continens versus in utriusque carmine, de qua egi.

Ea est similitudo amborum carminum, quam nemo, qui accuratius ea perlegerit, negabit. Hoc quoque, quod supra digito iam significavi, quod Theocritus hymno, qui rationes vetustas sequitur, regem celebravit, vel maxime est urgendum. Nam ante aevum Alexandrinum nemo poeta mortalem regem eo honore divino affecit: eum dico honorem, quod eius generis carmine poeta Philadelphum celebravit, quod plane diis reservatum est (*ὕμνοι*) [1]; scholiasta quidem appellavit carmen »*ἐγκώμιον εἰς Πτολεμαῖον*« ideo, quod mortali homini dedicatum est: at revera est *ὕμνος*, cf. vs. 7. seq: *αὐτὰρ ἐγὼ Πτολεμαῖον ἐπιστάμενος καλὰ εἰπεῖν ‖ ὑμνήσαιμ'· ὕμνοι δὲ καὶ ἀθανάτων γέρας αὐτῶν.* Praeterea *ἐγκώμια* facinora grandia quaeque nulla oblivione obruantur semper celebrant. Nostrum vero carmen est laudatio communis, non sibi sumpsit poeta aliquod facinus splendidum: itaque plane hymnorum indole utitur.

Theocriti carmen XVII. post Callimachi hymnum conscriptum esse, ut quod infra uberius erit tractandum hoc loco iam afferam, iam docet, quod Callimachum hymnum ante nuptias regis cum Arsinoa sorore germana composuisse concludi potest ex ea re, quod nuptiarum mentionem non fecit, quod quidem ille poeta servilis et vere aulicus nullo modo omisisset: immo et ipse sicuti Theocritus *ἱερὸν γάμον* fratris et sororis celebrasset. Unde sequitur Theocritum esse Callimachi imitatorem.

Callimachi igitur hymnus in Iovem, quo Ptolemaeus Philadelphus et cum deo summo comparatur et quam maxime celebratur, Theocritum commovit, ut et ipse carmine simillimo regis laudes per-

---

[1]) Plat. legg. III. 700. b. *καί τι ἦν εἶδος ᾠδῆς εὐχαὶ πρὸς θεούς ὄνομα δὲ ὕμνος ἐπεκαλοῦντο.* Resp. X. 607 a: *ὕμνους θεοῖς καὶ ἐγκώμια τοῖς ἀγαθοῖς.*

sequeretur. Callimachus quidem hymnos Homericos imitatus est (cf. hymn. in Vulc. vs. 8., in Hercul. vs. 9. al.), Theocritus Callimachum et ita hymnos Homericos. Haec autem imitatio inprimis illustratur eo, quod in idyllio Theocriteo sicuti in hymno Callimacheo Iovis partes eaedem fere sunt atque Philadelphi: cur enim Theocritus Iovem et in exordio et in exitu collocavit et regis tutorem praeclarum appellavit? — commovit Callimachi exemplar!

Theocritum cum multos Callimachi hymni locos tum eius dispositionem ad se vindicasse tabula, quam inserui, dilucidare et illustrare studui: qua simul eorum, quae ex Callimachi hymno in Delum petivit, brevis fit conspectus.

Callimachi hymni in Iovem tempus constituere conatus est O. Richter.[1]): Vss. 58. seq.:

τῷ τοι καὶ γνωτοὶ προτερηγενέες περ ἐόντες
οὐρανὸν οὐκ ἐμέγηραν ἔχειν ἐπιδαίσιον οἶκον

referendos esse censet ad res brevi antequam Philadelphus rex factus esset (285. a. Chr. n.) gestas. Ptolemaeus enim Soter Ceraunum Euridicae uxoris filium natu maiorem praeteriens (Paus X. 19. 4) Philadelphum, Berenicae filium, regem instituit[2]). Qua re ira vel maxima percussus Ceraunus Alexandrea relicta ad Lysimachum, cuius uxor Arsinoa ipsius soror erat, confugit, ut hunc ad bellum contra Philadelphum compelleret. Philadelphus autem, ut ea pericula dissolveret, matrimonium iniit cum Arsinoa, Lysimachi filia. Qua re Ceraunus ad Seleucum confugere coactus est, quem postea anno 281. a. Chr. n. necavit: exercitus Seleuci, qui eo ipso tempore Lysimachum devicerat, Ceraunum, regis percussorem, regem constituit. Duorum autem regnorum — Macedoniae et Thraciae — dominus anno 280. a. Chr. n. legatos misit ad Philadelphum Alexandream regis amicitiam petituros ipsumque Aegyptum non aspirare docturos.

Tres alii Philadelphi fratres, cum coniurassent cum Cerauno, paullo post interempti sunt itemque Demetrius Phalereus, quippe qui Ptolemaeo patri, ne Cerauni filii primoris ius laederet, suasisset. Eas autem cum fratribus res Callimachum, 'dieser feine, auf den Zehen

---

[1]) O. Richter: Kallimachus Hymnen auf Zeus und Apollo. — Zwei Momente im Leben des Ptolemaeus Philadelphus. progr. gymn. Guben. 1871.

[2]) Iustin. XVI. 2: Contra ius gentium minimo natu ex filiis ante infirmitatem regnum tradiderat (Ptolem. I.) eiusque rei populo rationem reddiderat etc.

gehende Schmeichler des reizbarsten Königs' illis versibus significare nullo modo ausum esse, contra irrisionem inesse in iis, 'wenn man annimmt, dass sie nach der durch die Erhebung des Philadelphus auf den Thron herbeigeführten Katastrophe der Brüder geschrieben sind'.

Ita definit Richter. p. 3. ipsum annum 285. a. Chr. n. — ante fratrum coniurationem —, quo Callimachus hunc hymnum in Philadelphi modo regnum assecuti honorem conscripserit: immo eo progredi ausus est, ut p. 4. inde concluderet, carmen ad ipsos dies festos, quibus celebraretur Philadelphus rex nuper constitutus, illustrandos scriptum esse.

Ea est Richteri opinio, quam equidem falsissimam esse puto. Nam quod maximum est (quod tamen silentio praeteriit Richter.) eo ipso anno Callimachus Lares Alexandream nondum transtulerat, sed Cyrenae habitavit et quindecim fere annos natus erat [1]. Scimus praetera Callimachum, ubi primum Alexandream commigraverit ex urbe Cyrena, Eleusine, quod erat *κωμύδριοτ* Alexandreae, scholam privatam habuisse [2]: quis autem est, qui Callimachum adolescentem quindecim fere annos agentem Eleusine scholae magistrum iam fuisse et hymno regis favorem sibi acquisivisse credat! Contra Lincke. (l. l. p. 7.) Callimachum circa ol. 129. (= a. 259. a. Chr. n.) demum maiorem gloriam [3] Alexandreae sibi paravisse et Musei sociis, inprimis autem Zenodoto seni, adiunctum esse statuit!

Recte autem Droysen. plurimum valere censet, quod Callimachus, poeta ille vere aulicus, nuptiarum Philadelphi cum Arsinoa altera sorore mentionem non fecerit: nullo modo, si tum cum hymnum in Iovem composuit eae nuptiae celebratae iam essent, talis poeta, qualis Callimachus est, *ἱερὸν γάμον*, qualem inierant Uranus et Gaea, Iuppiter et Iuno, proferre et laudibus cumulare neglexisset. Quae contra disputavit Richter, plane supervacanea et otiosa sunt: »Directe Beziehungen, scripsit p. 1., auf Philadelphus stellen allerdings ausser Zweifel, dass der Hymnus an ihn gerichtet sei; ich finde jedoch keine Stelle, die eine Anspielung auf diese Ehe vermissen liesse«. Certe! Ei enim loci hanc ob causam

[1] Cf. Ritschelii, Linckei, Couatii, al. libros supra l.

[2] Cf. A. Weichert: Ueber d. Leben u. Ged. des Ap. v. Rh. § 3.

[3] Cf. praeter Lincke, Couat: Remarques etc. p. 11. seqq.

desunt, quia deesse debent, quoniam ἱερὸς ille γάμος nondum celebratus erat. Num revera haec est causa contra Droysenium?

Ne ea quidem quicquam contra Droysenium valent, quae de hymni vss. 58. seq. disputavit, quos quidem Droysen. quoque (l. l. p. 264. n. 2.) sicut Richter., quamquam dubitans, ad fratum discordias pertinere censet. Hoc tamen discrimen extat: Richter. eos ante fratrum coniurationem scriptos esse statuit (i. e. a. 285. a. Chr. n.), quod falsum esse supra demonstrare studui. Revera autem scribi poterant ii versus longe post annum 285. a. Chr. n., quem definivit Richter., hasce ob causas. Ceraunus, cuius partes secuti sunt fratres, circa annum 280. a. Chr. n., cum tunc ipse quoque magni imperii rex esset, Philadelphum fratrem amicum iam habuit se Aegyptum non aspiraturum esse promittens: brevi post interfectus est. Itaque Callimachus summo iure longe quidem post Cerauni mortem scribere potuit γνωτοὶ προτερηγενέες .... οὐκ ἐμέγηραν κτλ., scilic. »Ceraunus frater tibi Aegyptum non invidit«, quoniam (ita explicandum videtur mihi) — sicut Neptunus et Pluto — proprium adeptus est imperium. Ita Callimachus, si revera vss. 58. 59. ad fratres referendi sunt, summo iure scribere poterat: inest tum in iis adulatio vel maxima. Ceraunus enim, inquit Callimachus, concedere tandem statuit, cum te et prudentissime et felicissime res agentem videret, sicuti Iovem fratres!

Brevi autem ante nuptiarum annum, quae a. 266. a. Chr. n., ut supra scripsi, celebratae sunt, Callimachus hunc hymnum composuisse videtur mihi. Dico brevi ante eum annum: nam Philadelphi gloria compluribus bellis feliciter gestis eo tempore adeo aucta iam erat, ut Callimachus tum summo iure scriberet vs. 86: περιπρὸ γὰρ εὐρὺ βέβηκεν κτλ., vs. 90: αὐτὸς ἄνην ἐκόλουσας, ἐνέκλασσας δὲ μενοινήν, quae quidem Philadelphi prudentiam et consilium in rebus publicis gerendis et gloriam militarem et bellicam celebrant. Anno autem 285. a. Chr. n., quem Richter. huius hymni statuit natalem, Aegyptus nec constituta nec corroborata erat nec Philadelphus, qui tum annum vicesimum quartum egit, gloria bellica fruebatur: immo Ptolemaeus I. ideo Philadelphum constituit successorem, ut, cum apta indole praeditus videretur, consilio inprimis regno provideret. Recte enim v. d. Droysen. l. l. p. 262. scripsit: »Wenn irgendwo so hatte Ptolemaios Soter in der Wahl seines Nachfolgers die Vor-

sicht bewährt, die ihn überall auszeichnete; ..... überwiegend bestimmte ihn die Rücksicht auf das Reich, das nur unter der sorgfältigsten Einsicht die Machtentwicklung gewinnen konnte, zu der er den sichern Grund gelegt hatte. Er konnte es in keine besseren Hände legen, als in die seines Lieblings« ... Quod Ptolemaeum patrem haud nequicquam speravisse vel maxime et splendidissime illustratur Callimachi hymno in Iovem, qui Philadelphi potentiae summum fastigium designat, tum Theocriti idyllio septimo decimo, cui hymnus Callimacheus exemplar fuit[1]).

Accedamus nunc ad Callimachi hymnum in Delum (IV.), qui ipse quoque magnam cum Theocriti idyllio XVII. habet similitudinem. Qui maxime huc faciunt sunt hymni versus 255. seqq., quibus mire respondere Theocr. XVII. 58. seqq. vidit Couat. (l. l. p. 18. seq.). Inspiciendi sunt etiam vss. 165. seqq. huius hymni, ubi de insula Co, Philadelphi patria, haec praedicantur:

ἀλλά οἱ ἐκ μοιρέων τις ὀφειλόμενος θεὸς ἄλλος
ἐστί, σαωτήρων[2]) *ὕπατον γένος· ᾧ ὑπὸ μίτρην*
ἵξεται οὐκ ἀέκουσα Μακηδόνι[3]) *κοιρανέεσθαι*
ἀμφοτέρη μεσόγαια καὶ αἳ πελάγεσσι κάθηνται,
μέχρις ὅπου περάτη τε καὶ ὁππόθεν ὠκέες ἵπποι
Ἠέλιον φορέουσιν[4])*· ὁ δ' εἴσεται ἤθεα πατρός.*

Ea expressit Theocritus id. XVII. vss. 76: hymni autem vs. 168: *ἀμφοτέρη μεσόγαια* (i. e. Africa et Asia) *καὶ αἳ πελάγεσσι κάθηνται* imitatus est vs. 76: *πολλᾶς δὲ κρατέει γαίας, πολλᾶς δὲ θαλάσσας,* deinde latiore pectore suspirans eas terras et insulas, quae Philadelphi

---

[1]) Droysenii de hoc hymno opinionem secutus est Couat. quoque (Remarques sur la date etc.). Hymnum compositum esse censet inter annos 280. et 275. a. Chr. n. p. 14: »L'allusion au partage du monde entre les fils de Kronos, dont nous avons parlé, donne à penser que le poète l'écrivit quelques années seulement après la victoire complète de Philadelphe sur ses frères, après 280. Enfin le silence de l'hymne sur tous les autres évènements] du regne (hoc non recte disputavit, nam vss. 89. 90. Philadelphum Iove favente reliquos reges iam vicisse tecte designant!) ..... prouve que nous devons enfermer entre les années 280 et 275 environ, à la fin de l'olympiade CXXVe, la date cherchée«. Poetam hymnum sua sponte, non regis iussu, composuisse et poetarum certamine publico constituto recitasse coniecit p. 15.

[2]) De voce *σωτήρ* cf. Drumann: Inschrift von Rosette. Königsberg. 1823. p. 74. seq.

[3]) Paus. X. 7.3: *ἔχαιρον γὰρ δὴ Μακήδονες οἱ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενοι βασιλεῖς, καθάπερ γε ἦσαν.* Drumann: Inschr. v. Rosette p. 72.

[4]) Cf. quae de hisce disputavit Droysen. l. l. p. 250.

erant, enumeravit. Clausulam vero Callimacheam *ὁ δ' εἴσεται ἤθεα πατρός* Theocritus expressit v. 104: *ᾧ ἐπίπαγχυ μέλει πατρώια πάντα φυλάσσειν ‖ οἷ' ἀγαθῷ βασιλῆι, τὰ δὲ κτεατίζεται αὐτός.*

Theocritum autem hunc quoque Callimachi hymnum imitatum esse inde facile concluditur, quod circa a. 274/72. a. Chr. n., ut Couatio l. l. p. 24. credamus, compositus est: hoc docent vss. 171. seqq., qui de Gallorum in Graeciam invasione agunt. Apollon enim: *Ξυνός τις,* inquit, *ἄεθλος* nobis erit, uterque cum Gallis gravissimam inibit pugnam. Designavit Callimachus Gallorum stragem apud Delphos [1], quae in annum 279. a. Chr. n. referri solet: itaque hymnus in Delum post eum annum compositus est. Paullo post (vss. 186 seqq.) in hymno leguntur haec: »Gallorum arma partim meum (Apollinis) erunt praemium, partim *ἐπὶ Νείλῳ ‖ ἐν πυρὶ τοὺς φορέοντας ἀποπνεύσαντας ἰδοῦσαι, ‖ κείσονται, βασιλῆος ἀέθλια πολλὰ καμόντος ‖ ἐσσόμεναι. Πτολεμαῖε, κτλ.,* ad quae schol. haec adnotavit: *Ἀντίγονός τις φίλος τοῦ Φιλαδέλφου Πτολεμαίου προξενεῖ αὐτοὺς αὐτῷ ὥστε ἐπὶ μισθῷ στρατεύεσθαι. καὶ γὰρ ἔχρηζεν ὁ Πτολεμαῖος τούτου τοῦ στρατεύματος. οἱ δὲ ὁμοίως ἠβουλήθησαν καὶ τοῦ Πτολεμαίου διαρπάσαι τὰ χρήματα. γνοὺς οὖν συλλαμβάνει αὐτοὺς καὶ ἀπάγει πρὸς τὸ στόμιον τοῦ Νείλου τὸ λεγόμενον Σεβεννυτικὸν καὶ κατέκλυσεν αὐτοὺς ἐκεῖσε. ταῦτα οὖν φησὶ ξυνὸν ἀγῶνα ἔσεσθαι.* Cf. Paus. I. 7. 2. Ille *Ἀντίγονός τις,* quem appellat scholiasta, sine dubio (Droysen. l. l. p. 270. n. 2.) est Antigonus Gonatas, Macedoniae inde ab anno 277. a. Chr. n. rex., quem Gallos mercennarios bello contra Pyrrhum habuisse testis est Pausanias (I. 13. 2.). Itaque post annum 272. a. Chr. n., quo Pyrrhus relicta Macedonia interfectus est, Antigonus Gonatas Gallos mercennarios ad Philadelphum dimisit: inde recte concludere mihi videor, Callimachum hunc hymnum circa annum 271. a. Chr. n. Gallorum necis memoria nondum obliterata composuisse [2].

[1]) schol. ad vs. 175: *Βρέννος ὁ τῶν Γάλλων βασιλεὺς συναγαγὼν τοὺς Κελτοὺς ἦλθεν ἐπὶ Πυθῶνα βουλόμενος τοῦ θεοῦ τὰ χρήματα διαρπάσαι. πλησίον δὲ γενομένων ὁ Ἀπόλλων χαλάζῃ χρησάμενος ἀπώλεσε τοὺς πλείστους αὐτῶν.* Paus. VIII. 10.9: *ἐκδηλότατα δὲ ὁ Γαλατῶν στρατὸς ἀπώλετο ἐν Δελφοῖς ὑπὸ τοῦ θεοῦ καὶ ἐναργῶς ὑπὸ δαιμόνων.* al. Huc spectare Apollinis Belvederiensis statuam coniectura felicissima est.

[2]) Droysenius hunc hymnum anno 265. a. Chr. n. scriptum esse coniecit (p. 306. n.), causae autem, quas attulit, mihi non persuaserunt, nam omnes insulas enumerare neque potuit neque voluit hoc loco.

Excursus I.

Schol. ὑπόθ. XVII. de Theocriti carminis initio adnotavit [1]: *Ἀρατείᾳ δὲ κέχρηται εἰσβολῇ,* quibus Theocritum Arati Phaenomenorum exordium ad se vindicasse comprobari Bergkius (ind. schol. Hal. Viteb. 1861.) censet. Id certe carminis Aratei exordium est: eam autem ob causam statim Theocritum Arati imitatorem statuere, cum Aratum carmen didacticum illud ante Theocriti id. XVII. scripsisse nullo modo possit demonstrari, audacius mihi videtur. Quo melius autem hanc quaestionem ad finem perducamus vitae Arati annos principales brevibus nunc repetamus. Natus est anno fere 300. a. Chr. n. Solis; circa annum 280. a. Chr. n. in insula Co arti medicae operam dedit, deinde Athenas ad Zenonem Stoicum se contulit, qui eum una cum Persaeo anno fere 277. a. Chr. n. ad Antigonum Gonatam in Macedoniam misit. *Ἐπισταθεὶς δὲ τῷ βασιλεῖ πρῶτον μὲν αὐτοῦ ποίημα ἀνέγνω τὸ εἰς τὸν Πᾶνα τῆς Ἀρκαδίας,* (Vita Arat. III. 19. p. 58. Westerm.), quo carmine sine dubio celebrabatur victoria, quam Antigonus Pane adiutore (ut credebant) a Gallis reportavit (Cf. Usener. dissert. l.). Remansit autem Aratus apud Antigonum Gonatam sine dubio usque ad annum 274. a. Chr. n., quo Pyrrhus Epirota re contra Romanos male gesta ex Italia redux *προεῖπεν Ἀντιγόνῳ πόλεμον ἄλλα τε ποιούμενος ἐγκλήματα καὶ μάλιστα τῆς εἰς Ἰταλίαν βοηθείας διαμαρτίαν* (Paus. I. 13. 2.). Eo quidem bello Antigonus adeo est devictus, ut et exercitus ad Pyrrhum transfugeret et regnum eius expugnaretur. Dimisit tum Philam uxorem ad Antiochum fratrem, quam Aratus poeta comitatus est: in eo itinere fortasse ad insulam Con devertit (cf. Usener l. l.) Huc spectare videntur biogrr. verba: *Δωσίθεος δ'ὁ πολιτικὸς ἐν τῷ πρὸς Διόδωρον ἐλθεῖν φησιν αὐτὸν καὶ πρὸς Ἀντίοχον τὸν Σελεύκου καὶ διατρῖψαι παρ' αὐτῷ χρόνον ἱκανόν* et.... *εἰς Συρίαν ἐληλυθέναι καὶ γεγονέναι παρ' Ἀντιόχῳ καὶ ἠξιῶσθαι ὑπ' αὐτοῦ ὥστε τὴν Ἰλιάδα διορθώσασθαι διὰ τὸ ὑπὸ πολλῶν λελυμάνθαι.* Per longum igitur tempus Aratus apud Antiochum, ubi Iliadem recensuit, commoratus est: quo autem anno reverterit ad Antigonum vix potest enucleari, fortasse sub finem vitae Antiochi, i. e. circa a. 261. a. Chr. n. Quod eo videtur comprobari, quod usque ad eum annum Antigono gravissi-

[1]) Non affert ea verba Ahrens., nam »omisit M. Gen.b.«.

	Callimachi hymnus in Delum.
Prooemium	
Incrementa.	vss. 255 seqq.: Apollo in insula Delo nascitur.
Thema.	
Philadelphus rex summus,	Apollon de insula Co haec vaticinatur: vss. 165 seqq. *ἀλλά οἱ ἐκ μοιρέων τις ὀφειλόμενος θεὸς ἄλλος* *ἐστί, σαωτήρων ὕπατον γένος· ᾧ ὑπὸ μίτρην* *ἵξεται οὐκ ἀέκουσα Μαπηδόνι κοιρανέεσθαι* *ἀμφοτέρη μεσόγαια καὶ αἳ πελάγεσσι κάθηνται,* *μέχρις ὅπου περάτη τε καὶ ὁππόθεν ὠκέες ἵπποι* *ἠέλιον φορέουσιν· ὁ δ' εἴσεται ἤθεα πατρός.*

ma bella gerenda erant (eo anno Athenae expugnatae sunt) neque eius regnum antea adeo corroboratum erat (in mentem revoces Alexandri, Molossorum regis, incursionem in Macedoniam), ut reiecto etiam Pyrrhi impetu Pella poetis domicilium tutum ab hostibus tum praeberet. Minime autem verisimile est, Aratum poetam et grammaticum Antigonum regem in bella, sicut Persaeum Stoicum, virum fortem ac strenuum (cf. Koepke l. l. p. 6. seq.), secutum esse. Inde igitur ab anno 261. a. Chr. n., quo Antigonus Gonatas summas sibi paravit laudes bellicas et rex potentissimus factus est, reliquam vitae partem apud eum degit: erat hoc tempus revera tale, quo Pella Musarum sedes iure appellaretur. Mortuus est Aratus Pellae ante Antigoni annum letalem (anno $^{240}/_{39}$. a. Chr. n.), quoniam Suida teste *παρ' αὐτῷ ἐτελεύτησεν.*

Iam revertamur ad Arati Phaenomena, unde orta est quaestio. Cuius quidem carminis indoles et natura certe talis est, ut viro maturiori et doctiori, non iuveni sit tribuendum. Abhorrere enim mihi videtur is catalogus, qui uniuscuiusque sideris fabulas abstrusas et reconditas adumbrat, a iuvene fervidiore: immo designat ille *Ἡσιόδειος χαρακτήρ* (ut ita dicam) Aratum grammaticum aetate provectiorem, qui studiis diuturnis tantam fabularum ab usu cotidiano longe remotarum copiam cognoverit. Accedit, quod eo tempore, quod apud Antiochum in Syria degit, cum earum regionum incolas antiquitus sideribus perlustrandis vel maximam operam dedisse constet, ut maiore studio in siderum scientiam inquireret, certe commotus est. Itaque Antigonum regem Aratum siderum peritissimum, cum ex Syria rediisset, hoc carmen condere iussisse verisimillimum est: ita igitur bigr. verba: *εἶτ' ἐκείνου* (Antigoni) *κελεύσαντος ἔγραψε τὰ Φαινόμενα* explicanda sunt. Ceterum Stoicorum philosophiam superstitionibus et eiusmodi generis studiis vel maxime favisse constat: itaque mirandum non est, quod Antigonus Gonatas, qui stabat a Stoicis, Aratum poetam, qui et ipse Stoicus erat [1]), tale carmen componere iussit. Quo fit verisimillimum, Aratum poetam aetate provectiorem, i. e. post a. 265. a. Chr. n., quo composuit Theocritus idyllium XVII., scripsisse id carmen: Aratus igitur Theocriti est imi-

---

[1]) Operis pretium esset ex scholiis ad Aratum inprimis eius philosophiam colligere et illustrare.

tator, non Theocritus Arati, ut censet v. d. Bergk. Scholiasta autem Theocriteus omnino e vano hauriens Theocritum respexisse Aratum ideo scripsit, quod Phaenomena posterioribus temporibus summa fruebantur laude poetica multoque magis innotuerant, quam Theocriti idyllium XVII., quod quidem demonstrant cum Ciceronis et aliorum versiones tum Phaenomenorum loci saepe citati, cf. inprimis Pauli apostoli notissimum illud: *τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν* [1]). Nam semper fit, si duo carmina poetarum aequalium aliquo modo inter se consentiunt, ut homines poetam carminis peioris auctorem clarioris respexisse et imitatum esse statuant. Itaque schol. Theocr. eodem iure et fortasse rectius scribere poterat: *κέχρηται δὲ τὰ Ἀράτου Φαινόμεα εἰσβολῇ Θεοκριτείᾳ.*

At ne Theocriteum quidem illud exordium est; antecesserunt praeter Callimachum, a quo mutuatus est, alii poetae, qui iisdem fere verbis usi sunt: cf. Alcmanis Mesoatae hymn. in Iov. exord: *Ἐγὼ δ' ἀείσομαι ἐκ Διὸς ἀρχόμενος*, Terpandri Antissaei hymn. in Iov. exord: *Ζεῦ, πάντων ἀρχά, πάντων ἀγήτωρ, ‖ Ζεῦ, σοὶ πέμπω ταύταν ὕμνων ἀρχάν*, Theognidis Megarensis vs. 1. (Schneidew.) *ὦ ἄναξ, Λητοῦς υἱέ, Διὸς τέκος, οὔποτε σεῖο ‖ λήσομαι ἀρχόμενος οὐδ' ἀποπαυόμενος, ‖ ἀλλ' αἰεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἔν τε μέσοισιν ‖ ἀείσω· κτλ.* Vides igitur coniecturam, Theocritum hoc loco Arati esse sectatorem, audacissimam esse.

Excursus II.

Theocritus idyllii XVII. versus 16. seqq. suopte ingenio non composuit. Athenaeus enim in pompae Bacchicae descriptione p. 201. d. haec habet: .... *Ἀλεξάνδρου δὲ καὶ Πτολεμαίου ἀγάλματα ἐστεφανωμενα στεφάνοις κισσίνοις ἐκ χρυσοῦ. τὸ δὲ τῆς Ἀρετῆς* [2]) *ἄγαλμα τὸ παρεστὸς τῷ Πτολεμαίῳ στέφανον εἶχεν ἐλαίας χρυσοῦν. καὶ Ἡρακλῆς* [3]) *δ' αὐτοῖς συμπαρῆν ἔχων στέφανον ἐκ χρυσοῦ. κτλ.* Ex quibus elucet, Theocritum eos versus scribentem hominum Alexandrinorum de regum suorum origine et primordiis opiniones sol-

[1]) Cf. Cleanthis hymni in Iovem vs. 4. (C. Wachsmuth: commentatio II. de Zenone Citiensi et Cleanthe Assio. progr. Gott. 1875. p. 17.).

[2]) Vides igitur *Ἀρετήν*, quam Callimachus quoque hymn. in. Iov. extr. appellat, Ptolemaeo in deliciis fuisse.

[3]) Sic leg. Kamp. l. l. p. 12. n. pro *Πρίαπος*.

lemnes respexisse. Atque cum praeterea vss. 124. 125. Ptolemaeum Philadelphum parentibus templa praeclarissima condidisse dicatur, haud false scribere mihi videor, Theocritum inde a versu 16. statuas in parentum templis collocatas descripsisse. Hoc ni fallor ipsa verba Theocriti indicant:

τῆνον καὶ μακάρεσσι πατὴρ ὁμότιμον ἔθηκεν
ἀθανάτοις, καί οἱ χρύσεος θρόνος ἐν Διὸς οἴκῳ[1])
δέδμηται· παρὰ δ'αὐτὸν Ἀλέξανδρος φίλα εἰδώς
ἑδριάει, Πέρσῃσι βαρὺς θεὸς αἰολομίτραις.
ἀντία δ' Ἡρακλῆος ἕδρα κενταυροφόνοιο[2])
ἵδρυται στερεοῖο τετυγμένα ἐξ ἀδάμαντος.

Etiam versus inde a 28. eum praebent conspectum, ut non sine omni veri specie Theocritum pictura quadam adductum eos condidisse dicas.

Excursus III.

De Theocrit. id. XVII. vss. 40. seqq.

ὧδέ κε παισί
θαρσήσας σφετέροισιν ἐπιτρέποι οἶκον ἅπαντα,
ὁππότε κεν φιλέων βαίνῃ λέχος ἐς φιλεούσης.
ἀστόργου δὲ γυναικὸς ἐπ' ἀλλοτρίῳ νόος αἰεί,
ῥηίδιοι δὲ γοναί, τέκνα δ'οὔποτ' ἐοικότα πατρί

Droysenius l. l. p. 346. n. 2. haec in medium protulit: .... »Und ich meine, Theokrit dachte hier an die Wittwe des Magas, von der Klatschgeschichten der skandalösesten Art in Masse am Hofe von Alexandrien in Schwange gewesen sein werden. »Die Kinder dem Vater nicht gleich« bezieht sich dann auf Berenice; und zwar vor ihrer »hochherzigen That« gegen ihren ehebrecherischen Bräutigam (Demetrius Pulcher) sind die Verse dann geschrieben«. Ea quidem interpretio audacissima mihi videtur esse, cum eadem Berenice

[1]) »Igitur Alexandri, Ptolemaei I., Herculis statuae in templo Iovis erant coniunctae. Talem autem eorundem signorum complexionem ad exemplar illius, quae in templo Iovis erat, confectam in pompa ductam esse puto«. Kamp. l. l. p. 12. n. De Iove Ptolemaeorum stirpis autore cf. C. I. Gr. n. 5127. monum. Adul. Iustin. XXIV. 2: Iovis templum, veterrimae Macedonum religionis. Preller: Gr. Myth. I. 119.

[2]) Ptolemaeus I. Philippi filius ferebatur. Plut. Alex. 2: *Ἀλέξανδρος τῷ γένει πρὸς πατρὸς ἦν Ἡρακλείδης ἀπὸ Καράνου*

Ptolemaei II. filio Euergiti desponsa tum iam fuerit: praeterea autem ex hac interpretatione, cum Magas anno 258. a. Chr. n. mortuus esset et Demetrius Pulcher, cui postea desponsa est Berenice, post eius mortem Cyrenam pervenisset, carminis annum natalem plane alium constituere debebat. Atque mihi quidem res plane alio modo explananda videtur: opponuntur mea opinione Ptolemaei I. Soteris uxores Berenice, ex qua Philadelphum genuit, et Eurydica, ex qua Ptolemaeum Ceraunum, Meleagrum, Argaeum al. *Ἄστοργος* autem appellatur Eurydica, quia Ptolemaeus Soter eam repudiare coactus est; *τέκνα δ' οὔποτ' ἐοικότα πατρί* sunt, quoniam si fuissent pater Cerauno, natu maiori, non Philadelpho, regnum tradidisset. In animum autem revoces fratrum contra Philadelphum rebelliones.

Ad. vss. 53. seqq. Droysen. l. l. p. 324. n. 1. haec adnotavit: »Du dunkle Argeierin gebarst mit dem Tydeus dich vermischend den kalydonischen Mann, den männermordenden Diomedes; aber die tief geschürzte Thetis dem Aeakiden Peleus den Speerschleuderer Achill; *σὲ δ' αἰχμητὰ Πτολεμαῖε κτλ*«. Das finstere Bild des männermordenden Diomedes und seines frevelwüsten Vaters tritt mit dem *ἀλλά* schroff genug dem hellen Achill gegenüber, und man empfindet sehr bestimmt, dass der Dichter eine Parallele des Achill und Diomedes mit Ptolemaios und einem anderen Fürsten angesponnen hat, die er mit dem *σὲ δέ, Πτολεμαῖε,* aufgiebt, da sie schon hinreichend verstanden ist, und weitere Ausführung müssig wäre. Ich meine, nur Antigonos, des wilden Demetrios Sohn, entspricht diesem Diomedes. Wenigstens hat dann die Stelle einen Sinn, und der Dichter hört auf, so albern zu sein, wie uns seine gelehrten Erklärer wollen glauben machen, die denn freilich auch jenes *ἀλλά* nehmen, als bedeute es eben nichts.« Ea quidem recte explicasse Droysenius videtur mihi, nisi ex eo aliquid concludere vis, quod Ptolemaei I. paelex quaedam *Βελεστίχη* vocatur *Ἀργεία* (cf. Hauler. l. l. p. 22. seq. c. nott.). Ceterum Theocritus hoc loco fabulas mythicas confudit: *Ἀργεία* enim (vs. 53.), cum opponatur Thetidi (vs. 55.), nomen proprium esse debet, ut recte visum est Ruhnkenio adn. ad Hermesian. p. 225. Bach. Scholiasta quidem suo modo explicat: *Ἀργείαν εἶπε τὴν τοῦ Διομήδους μητέρα Δηιπύλην καθὰ ἐξ Ἄργους ἦν, Ἀδράστου θυγατήρ*, attamen oppositio postulat nomen

proprium. Itaque poetae, quoniam Ἀργεία Polynicis uxor erat, scribendum erat: Δηιπύλη κυανόφρυ κτλ [1]).

Excursus IV.

Theocrit. id. XVII. vss. 68. seqq. insula Cos haec loquitur:

ἐν δὲ μιᾷ τιμᾷ Τρίοπος καταθεῖο κολώνᾳ,
ἶσον Δωριέεσσιν νέμω γέρας ἐγγὺς ἐοῦσιν,
ὅσσον καὶ Ῥήναιαν ἄναξ ἐφίλησεν Ἀπόλλων,

ad quae scholiasta haec adnotavit (vs. 69): ἄγεται δὲ κοινῇ ὑπὸ τῶν Δωριέων ἀγὼν ἐν Τριοπίῳ Νύμφαις Ποσειδῶνι Ἀπόλλωνι. καλεῖται τὲ Δώριος ὁ ἀγών, ὡς Ἀριστείδης φησίν. Τριόπιον δὲ ἀπὸ Τριοπίου τοῦ Φόρβαντος (Muncker. Ziegler. Ἄβαντος cod. et vulg.) ὡς ἐν τοῖς περὶ Κνιδίας (Ῥόδου Duebn.) Ἰάσων φησίν. vs. 68. [Φιλ]αδέλφου ἐσπουδακότος περὶ τὴν ἐν τῷ Τριοπίῳ τῶν Δωριέων σύνοδον καὶ τὴν αὐτόθι δρωμένην πανήγυριν καὶ τόν ἀγῶνα τὸν ἀγόμενον Ποσειδῶνι καὶ Νύμφαις. Ex quibus consequens est, eo tempore quo compositum est hoc idyllium, Cariae quidem eam partem, ubi Cnidos sita est, Philadelphi dominationi subiectam iam esse et regem tum id maxime egisse, ut certaminibus, quae ibi agebantur, magno splendore exornandis Doriensibus Pentapolidis gratificaretur. Atque cum tota de aetate idyllii XVII. computatio nostra anno 265. a. Chr. n. Cariam Aegypto iam annexam esse comprobet, ea certamina a Philadelpho tum iam instaurata esse debent. Mirandum autem est quod schol. Theor. illa certamina nymphis, Neptuno, Apolloni tantummodo, non Cereri acta esse scripsit, quamquam huic quoque deae ibi sacra splendidissime acta esse constat [2]). Triopas enim,

---

[1]) De Wilamowitz-Mölleudorf in ephem. Hermes vol. 14. t. 2. Berol. 1879 (»Die Galliamben des Callimachus und Catullus«) p. 200. n. 1. haec disputavit: ».... die Herausgeber denken wohl an die Psalmen des Apollinaris, aber nicht daran, dass Callimachus hier (epigr. 51. Meinek. vs. 3.) Theocritos vs. 17. 57. in's Gedächtniss ruft, αἰχμητᾷ Πτολεμαίῳ ἀρίζαλος Βερενίκα, zugleich also die lebende Fürstin ihrer Namensschwester, der θεᾷ σώτειρα parallelisirt, und dem Theokritos ein Compliment macht. Dem zu Ehren ist das Gedicht auch dorisch; nur τήναις hätte übel geklungen«. Quod unde hauserit vel quomodo comprabare velit vir doctissimus equidem non video.

[2]) »Die Mythen von Triopas und dessen Sohn Erysichthon (i. q. Robigo Kornbrand (Rost) cf. Forchhammer. Hellenica s. v. ΚΡΥΣΙΧΘΩΝ) beziehen sich immer auf eine Ackerreligion, die zugleich Cultus der Unterwelt ist. Dieser Cultus mit seinen

Neptuni et Canacae (alii aliam matrem appellant) filius, cum Pelasgi eius regnum expugnassent, ex Dotio Thessaliae campo profugus in Cnidio Cariae promuntorio condidit Triopium, ubi Cereri instituit sacra, ut deae iram Erysichthonis filii facinore nefasto excitatam placaret [1]). Ea igitur Cerealia instaurasse Ptolemaeum Philadelphum comprobatur illo loco Theocriteo. Callimachi quoque hymnus in Cererem, ut recte monet v. d. Couat (Remarques etc. p. 34. seqq.) huc referendus est: quamquam non credo, Callimachum eum hymnum Philadelphi iussu in usum theoriae Aegyptiae eo missae composuisse [2]). Deest enim plane ea indoles, qua praediti sunt ii hymni, qui diebus festis recitarentur: describitur dea furibanda et saeviens, cum esse debeat dea benigna et benevola, cui in Triopio promuntorio sacra agebantur. Etiam tempus huius hymni Couat. constituere conatus est. Cariam enim secundo bello Syro (258—248 a. Chr. n.) a Philadelpho expugnatam et brevi post eius provinciae expugnationem hunc hymnum compositum esse statuit. — Cariam autem anno 265. a. Chr. n. Ptolemaei Philadelphi imperii partem iam fuisse supra vidimus: itaque hac quidem ratione de tempore huius hymni nihil certi statui potest!

Vides igitur de hisce quoque quaestionibus valere illud Senecae: »Multum adhuc restabit operis multumque restabit, nec ulli nato post mille saecula praecludetur occasio aliquid adhuc adiciendi«.

Mythen ist heimisch auf dem phthiotischen Feld Dotion, ausserdem in Argos und Attica. Von dem dotischen Gefi'de wanderte er an die Südwestküste von Kleinasien«. Müller. Dor. I. p. 400.

[1]) Cf. Herodot. I. 174. Apollod. I. 7.4. Diod. 5.56. Couat: Remarques etc. p. 39. n. 1.

[2]) Couat. l. l. p. 40: »Comment aurait-il mieux encouragées (les panégyries) qu'en y prenant part lui-même (Philadelphus) au nom de l' Égypte devenue un empire grec? Comment aurait-il mieux mérité les sympathies des îles doriennes de la mer Égée, qu'en envoyant une théorie aux sollennités du Triopium et en demandant à Callimaque un poéme pour la Déméter de Cnide, comme il lui en avait demandé un pour l'Artemis d'Ephèse? (??)

Sententiae controversae.

I. Theocrit. id. XV. vs. 98. cum Ahrensio legendum est:
ἅτις καὶ πέρυτιν τὸν ἰάλεμον ἀρίστευσε.

II. Verg. Georg. I. 32:

anne novom tardis sidus te mensibus addas,
qua locus Erigonen inter chelasque sequentis
panditur (ipse tibi iam bracchia contrahit ardens
Scorpius et caeli iusta plus parte reliquit) —

primus designavit mensem dein Augustum Octaviani honoris causa appellatum.

III. Pindarum Aegidam fuisse interpretes carm. Pyth. V. audacissime statuerunt.

IV. Zenon Stoicus anno 264. a. Chr. n. mortuus est, quo anno bellum Chremonideum inter Athenienses et Antigonum Gonatam exarsit.

V. Fabulae mythicae ex natura locorum, ubi ortae sunt, explicari debent.

VI. Die Hegel'sche Erkenntnisstheorie (Bd. VIIb. Lehre vom subjectiven Geist) ist die ausgeführte Platonische (Republ. lib. VI. a. E.).

Vita.

Ego Carolus Otto Fridericus Hempel natus sum Wittstochii Prignissorum a. d. XVI. Cal. Octobr. anno huius saeculi LVIII. patre Carolo, matre Guilelma e gente Rueschiana: pater puerulo tertium aetatis annum agenti morte praematura ereptus est. Fidei addictus sum evangelicae. Atque primum quidem scholas publicas frequentavi, deinde in scholam realem, quae vocatur, receptus sum, quam vero brevi post magistratus oppidi patrii in gymnasium transformandam curavit. Maturitatis examine superato anno h. s. LXXVI. studiis philologicis operam daturus Kiliam commigravi, ubi me per novem deinceps semestria docuerunt viri doctissimi Blass, Busolt, Forchhammer, Hoeck, Luebbert, Th. Moebius, Pfeiffer, Pfleiderer, Schirren, Thaulow, Volquardsen. Seminarii philologici sodalis fui per octo, historici per tria semestria: praeterea vir illustrissimus Thaulow in societatem Aristotelicam, quam condidit, benevolentissime me recepit. Examine rigoroso, quod vocatur, perfunctus sum die XVIII. mensis Decembris anni 1880, examine autem pro facultate docendi die XII. mensis Februarii 1881.

Illorum virorum doctissimorum et literarum studiis clarissimorum, qui de ingenio meo excolendo optime meruerunt, pio animo memoriam semper colam: Forchhammero autem et Luebberto gratiam habebo semper quam plurimam, nam hi duumviri me adolescentem peregrinum statim benevolentissime apud se receperunt et curarum gaudiorumque participes semper mihi fuerunt.

Conspectus.

I. De Theocriti vita.

II. De singulis Theocriti carminibus.

III. Sententiae controversae.

IV. Vita.

